RELIGIOSÆ
KIIOVIENSIUM
CRYPTÆ
in quibus
LABYRINTUM
et in eo corpora Heroum ætate Divorum
Roxolanorum ex nomine ad oculum
demonstrat
M. IOHANNES HERBINIUS
Regiomonti
Sumptibus Martini
Hallervordi Bibl: 1615

RELIGIOSÆ KIJOVIENSES CRYPTÆ,

Sive

KIJOVIA SUBTERRANEA:

In quibus

LABYRINTHUS SUB TERRA,

Etin eo emortua, à sexcentis annis, Divorum atque Heroum Græco-Ruthenorum, & nec dum corrupta, corpora, *ex nomine atque ad oculum, è* ΠΑΤΕΡΙΚΩ *Sclavonica detegit.*

M. JOHANNES HERBINIUS.

JENÆ,
Impensis MARTINI HALLERVORDI.
Literis JOHANNIS NISII.
ANNO M. DC. LXXV.

Illustrissimo, ac Celsissimo

Principi ac Domino

DN. ERNESTO BOGUSLAO,

CROJI ET ARESCOTI DUCI; S.R. Imperii Principi, Marchioni Hauræi, Comiti in Fonteney, Bayon & Dompmartin / Neogardiæ item & Massoviæ &c. Nec non Potentissimi Electoris Brandenburgensis in Ducatu Prussiæ, & per Pomeraniam citeriorem Gubernatori Generali &c.

Domino meo clementissimo:

NEC NON

Serenissimi ac Potentissimi Electoris Brandenburgici Consiliariis supremis, Ducatumq; Prussiæ Regentibus eminentissimis ac Generosissimis,

DN. JOHANNI ERNESTO à Wallenrodt / Supremo Aulæ Provincialis Magistro,

in Pachellen / Predeltwitz / Altstadt / König-See / Irgelauken &c. Domino Hæreditario:

)(DN.

DN. ALBERTO à Kalnein/
Burggravio Supremo in Mulsehnen/
Loschen & Lindenaw/ &c. Domino
Hæreditario:

DN. JOHANNI DIETERICO à Tettaw/ Cancellario &
Supremo Tribunalis Præsidi, in Wicken/
Schönbruch/ Doben & Arnaw &c. Domino Hæreditario:

DN. GEORGIO ABELI
à Tettaw/ Supremo Mareschallo,
in Warinen/ Baudels/ Sießlak &c.
Domino Hæreditario:

Item:

Nobilissimo, & Magnifico Viro

DN. JOHANNI REICHARDO
Fehren/ Serenissimi Electoris Brandenburgici
à Consiliis, & Illustrissimæ Principis Radzivviliæ ab intimis &c.

&

Nobilissimo, Amplissimo & Juris Consultissimo

DN. JOHANNI Rejer/ Illustrissimæ Principis Radzivviliæ à Secretis
& Rationibus &c.

Dominis, Patronis & Promotoribus Evangelii gratiosissimis & observandis

Gratiam, pacem & omnimodam in arduis rebus prosperitatem à DOMINO IESV!

Celsissime Princeps, Illustres ac Generosi Domini, & Magnifici VIRI.

SI verè quidam priscorum Philosophorum effatus est, *in Sapientiæ studiis nihil agere, & nihil esse,* idem esse; certè sanctissimum DEI Oraculum erit: In Regno DEI esse, & CHRISTO non servire est, aut agere asinū, aut bruto esse deteriorem *Esa.1.v.3.* tandemq; nihil esse omninò, nisi servum nequam, in pristinum tenebrarū, ut ibi duplo vapulet, præcipitandum. *Luc.12.v.47.* Sanè regnare omnes in regno DEI desiderant: nec pauciores etiam ser-

vitutem in Ecclesia ambiunt, ast cum imperio quodam & fortuna lautiore. Paucissimi amore divino flagrantes, etiam in adversis rebus, JESU pauperi ultro, seriò & bona fide constanterque famulantur. Cum itaque DOMINUS & Pontifex noster T.O.M. JESUS CHRISTUS me servorum suorum ultimum & indignissimum, in censu Ministeri tenuioris reputaverit, nunc autem, admirando suo beneplacito, etiam exulare jubeat cum illis, qui *euntes semen pretiosum in lachrymis disserunt tamen*; *Psal.* 126. ne in otio exilii otiosus essem omnino, de abditis sub terra Græco-Ruthenorum

norum rebus, ad majorem DEI gloriam & Ecclesiæ CHRISTI incremẽtum, tradere quædam constitui. Peregrini sumus in Roxolania Germani, & Roxolani, (sive vulgari appellatione Russolani) cum suo Borysthene apud nos peregrinantur. Et quotusquisque est, cui illam, famâ tum integrâ, tum justo auctiore celebratam in Orbe, inque ripa Borysthenis sitam, urbem KIJOVIAM adire, per continua ibidem Cosaccorum cum Tartaris certamina hactenus licuit. Quis Trojæ vestigia non lustraret lubens? Quis Priamos, Hectoras, Achilles, Ajaces, aliosque Dardanorum æ-

què ac Archivorum Heroas, etiam maxima ſumptuum jactură, ad Boryſtenem ſpectatum non iret peregrè? Horum enim corpora in Cryptis Kijovienſib⁹ extare adhuc incorrupta, mendax, & impudens quidem, in Germania fama rudioribus perſvadere, adeoque fide ſub leſta imponere non dubitavit. Quâ vanitate excitatus ego, cum mihi, Miniſterii Evangelici partibus in Saxonica Eccleſia Vilnæ defungenti, multa privatim cum venerabili Patre Græco-Ruheno, Ordinis S. Baſilii Vilnæ ad Spiritũ S. Abbate, Dn. MARTINIANO WOLOSZOWICZ, conſvetudo frequens-

quensque familiaritas; cum Eminentisſimo verò Archimandrita Kijoviensi DN. INNOCENTIO GIZIEL literarium etiam intercederet commercium; & lingvæ Sclavonicæ eruditionem haud mediocrem nactus hac occaſione ſum, & rituũ Græco-Ruthenorum in Eccleſiis ipſorum uſu receptorũ ſpectandi ſubinde facta eſt mihi copia; eaque ex Virisillis humanisſimis de Kijovia cognovi atq; didici, quæ & mendacem in Germania famam conficiant penitus, & Lectorem pium de multis Boryſtenidarum rebus erudiant nonnihil, moneantque.

Tuo verò excelſo Numini, Heros & Dux Celſisſime Domine mi Clementisſime, nec non magnis Veſtris Nominibus, Generoſisſimi Prusſiæ Magnates, Domini & Patroni mei gratioſisſimi, libellus iſte nunc ſupplicet, ut, Ducali autoritate magnificoq;

Veſtro

Vestro patrocinio tutò prodire in lucem, extareque publicè sibi liceat. Oro autem veris gemitibus FILIUM DEI, ut Potentissimam DOMUM Electoralem BRANDENBURGICAM, nec non Celsitudinem Tuam Ducalem, Vestras Illustres Generositates, & Magnificentias regnare, agereque in pace florentissima ac supereſſe diu velit, SEMPER AUGUSTAM. SEMPER PRINCIPEM. SEMPER GLORIOSOS. SEMPER FELICES! Fiat! Dabam Regiomonti è domo exilii, die 6. Martii, Anno Sal. M.DC.LXXV.

VV. Celsitudinis, Generositatis & Magnificentiæ

Cliens humillimus
ac religiosus
M. Johannes Herbinius.

INDEX CAPITUM.

I. De Etymologia vocis Sclavonicæ PIECZARA.
II. De Loco Cryptarum Ruthenicarum, & in ſpecie Kijovienſium.
III. De origine Cryptarum Kijovienſium.
IV. De Auctoribus Cryptarum Kijovienſium.
V. De MATERIA Cryptarum Ruthenicarum.
VI. De FORMA Cryptarum Kijovienſium.
VII. De Ratione ſeu modo fodiendi Cryptas.
VIII. De uſu Cryptarum.
IX. De ſpeciebus Cryptarum Ruthenicarum.

X. De Corporibus in Cryptis Kijovienſibus repoſitis

XI. Problema. Quænam ſit cauſa incorruptibilitatis corporum, ab annis amplius ſexcentis, in Cryptis Kijovienſibus dormientium.

XII. De Capitibus ſeu craniis oleiferis in Cryptis Kijovienſibus.

XIII. De argumentis Ruthenorum pro miraculo olei Cryptani.

XIV. De RUTHENORUM ingenio.

XV. De Admirandis Ruthenorũ rebus.

Σὺν Θεῷ.

SI quod est in cœlo studium, aut si qua Divinitatis (quæ est profecto) in terrâ occupatio Naturæ miracula sunt, quibus mens illa omnipotens sua aut occultat Mysteria, aut in Orbem prodit fata. In quo studio tam mirabiliter se exerit ut Orbis nova in dies videat mireturque naturæ miracula. Et quia mirari opera sua jubet DOMINUS, Psal. 66. v. 5. ne in alto Exilii nei otio nihil agam omninò, bo peregrè Kijoviam ad magnũ Borysthenis tractum, quæque ibi DOIMNUS ad spectandum nobis proposuit, quæque ex Venerabili Archimandrita per commercium literarium didici, penitiùs inspectabo.

Caput I.

De VOCE SCLAVONICA Pieczara, quæ Cryptam subterraneam significat.

SUMMARIUM.

1. *Cryptarum Etymologia Latina & Polonica enucleatur.*
2. *Cryptæ sunt sacræ & profanæ.*

I.

CRyptæ vox Græca Κρύπτη, ἀπὸ τοῦ Κρύπτειν *occultare, abscondere*, orta est. Rectè igitur in sensu dextro Fornix hypogæus Latinè subterraneus, Polonicè *Pieczara* dicitur Cujus vocis Originem nemo, quod sciam, indicavit hactenus. Cryptæ Kijovienses, Sclavonicè & Polonicè *Pieczáry* ab Historicis Sarmatis appellantur quidem, sed unde nominis istius derivatio erit? Divinabo. Aut à nomine *Piecza* seu *Pieczotozoánie*, hoc est, sollicitudo; quia Cryptæ illæ magnâ

gnâ curâ elaboratæ sunt; Aut à nomine Sclavonico, *Piec*, id est, fornax: quia perfossæ in illis subterraneis Cryptarum meatibus dextrorsum & sinistrorsum cellæ quædam breves & angustæ, Virorum religiosorum habitacula, & post mortem sepulchra elaboratissima, ad instar fornacum, excavata sunt. Delige, Lector, utram velis sententiam, hic enim ego certi nihil statuo.

II. Latinis nominibus Crypta dicitur, antrum sive conclave subterraneum, fornix hypogæus, meatus subterraneus, cuniculus, &c. Et quia in Kijovienſibus aliisque extraneis Cryptis cellulæ quædam & concamerationes sive ductus sub terrâ camerati, inveniuntur, sanè sepulchra arcuata vocabuntur rectissimè, Germanis Crypta ein Gewelb: aliter ein heimlicher Gang unter der Erden. Polonis autem *Pieczary*, *piece*, vel *Lochy podziemne*, id est, Fornaces, Cuniculi, foramina subterranea, conclavia arcuata &c.

III. Variè autem vox Cryptæ ab homine milite, cive, Sacerdote, vel â Bruto effossæ significat. 1. Primum quidem

qualecunq; antrum ſubterraneum & cuniculum, ein Loch oder Gang unter der Erden/ uti nunc in Etymologia dictum eſt, de quo Martialis:

Gaudet in effoſſis habitare cuniculus antris,
Monſtravit tacitas hoſtibus ille vias.

2. Significat antra vel ſpecus montium, ſeu natura ſeu arte excavatorum religioſos, quales Cryptæ olim erant miſerorum in perſecutione receptacula v. g. *ſpelunca Cananæa*, in quam ſe Reges Cananæi à Joſuâ victi receperant, ſed poſtea inde extracti & à populo Iſraëlis occiſi ſunt, Joſ. 10. *Antrum Davidicum* ADULLAM dictum 1.Sam. 22. HELIANUM 1.Reg. 19. *Propheticum* 1.Reg. 18. *Apoſtolicum* Hebr.11. 3. Accipitur pro ſpelunca religioſa, quales olim apud gentiles erant Muſarum antra. Imò in Cryptis Kijovienſibus Sacra quandoque, teſte Neſtore Ruthenorum Hiſtorico atque Chronologo, in ſuo libro, cui titulus eſt πατερικὸν, id eſt, Liber vitarum S. S. Patrum in Cryptis Kijovienſibus nunc dormientium, tempore definito peraguntur. 4. Denique etiam Cryptæ

ptæ ſubterraneæ ſunt ſepulchra, ſeu mortuorum genere aut meritis illuſtrorum dormitoria, quæ priſci vocabant Mauſolea. Et in hâc ſignificatione Cryptæ Kijovienſes publicè audiunt, quod ſint Heroum, nec non virorum religioſorum, viventium quidem clauſtra privata religionis gratia perfoſſa, ſed vitâ defunctorum cubicula ſeu conditoria camerata. Duplices igitur Cryptæ in Orbe dantur. *1. Profanæ* Ægyptiorum, aliarumque gentium ac terrarum *2. Sacræ:* nempe Virorum Sacrorum ac religioſorum, ante & poſt diem ſupremum ſeceſſus ac receptacula. Nos, miſſis profanis, ſacras ingrediamur Kijovienſium Cryptas.

CAPUT II.

DE LOCO CRYPTARUM KIJOVIENSIUM.

SUMMARIUM.

1. Cataractæ Boryſthenis Coſacorum ſedes.

2. *Cosaci hodierni olim in castris Alexandri M. milites falciferi.*
3. *Kijovia non est Troja antiqua.*
4. *Kijovia non fuit sedes exilii Ovidiani.*
5. *Cosaci Scythæ agricolæ Borysthenidæ juxtà Herodotum.*

I.

Duo sunt, quorum nomine Borysthenes ejusque accolæ Roxolani à Geographis commendantur maximè : Cataracta & Urbs Kijovia. Cataracta est, quâ Borysthenes, inter scopulos & mæandros anfractusque multos, gradibus aliquot præcipitatus, in alios scopulos & saxa eminentia, horrendo cum fragore & mugitu, terrâque tremente, labitur. Hasce Cataractas Kosaci accolæ idiomate Rutheno POROHI, id est, Limina ideò vocant, quod Cataractæ illæ Tartarorum excursiones, instar obicis sufflaminant, eumque illis opponunt limitem aut limina, quæ transilire nequeunt. Inde Cosaci Zaporovienses dicuntur incolæ Roxolani & milites, qui in illo tractu perpetuas contrà Tartarorum excursiones & latrocinia agunt excubias. De quorum

Cosa-

Cosacorum Etymologia hodie docti variè sentiunt. Quidam cum Piasecio nomen hoc derivant à voce Polonica, *kozá*, id est, capra: rationem addunt istam: quia instar caprarum cùrsu velocissimo ad omnia agiles currant: vel quod caprinis pellibus contrà injurias aëris tegantur. Sed forsan verisimilior est derivatio à Slavonico nomine *kossá*, id est, falx: Unde *kossak*, falcifer. Atque ita priscos Borysthenidas fuisse appellatos, ex Magnate quodam Polono didici. Postea, litera S. in cognatam sibi (quoad pronuntiationem Sarmaticam) literam Z, mutatâ, vulgus Cossacos olim falcigeros nunc *kozácos*, id est, caprinos, vocat. Quod Etymon Q. Curtium in lib. 7. de rebus gestis Alexandri M. probare Scythas Borysthenidas falcigeros (Polonicè kozakos) in castris Alexandri M. militasse Disputator quidam haud ita pridem asserebat, quod ego tamen nec in Plutarcho, nec in Q. Curtii Historia, imò nusquam advertere possum. Disquirant eruditi.

II. Alterum est KIJOVIA Urbs cis Borysthenem, elevat. Poli circiter 50. gradus

dus sita, cujus originem investigare hic non est animus. Illud autem expendere pretium operæ erit haud leve, quod inter alia de Urbe ista vulgò prædicantur: fuisse scilicet kijoviam. 1. Trojam veterem, quæ, ob raptam à Paride Helenam Menelai Spartanorum Regis uxorem, à Græcis olim per decennium obsessa, tandemque expugnata ac penitus exciſa est. Cui fabulæ istud accedit commentum, in Crypta Kijovienſi giganteâ Hectoris, Priami, Achillis, & aliorum tùm Trojanorum, tùm Græcorum Heroum corpora, à tanto jam tempore, incorrupta spectari. Sed absurda hæc atque falsissima esse Geographia docet. Si enim Troja olim fuit, ubi nunc Kijovia exiſtit; quâ quæso ratione classis Græcorum eò per descendentes Borysthenis adversi Cataractas penetrare potuit, cùm ne scapha quidem incolumis illac transeat? Quomodo Æneas classem per Cataractas illas transmittere potuit, cum ne trabes quidem impune ibi præcipitentur. Magna sanè est ac celebris Cataracta Westro-Gothica, nomine TROLLHETTA, Latinè, si cum Nonio loqui licet,

cet, Capitium aut mitra Diaboli, in quam trabes vel mali nautici præcipitati impune evadunt pauci admodum: Quam Cataractam cùm inſpectaremus Viatores, toti horrebamus. Aſtuna hæc Cataracta cum multis Boryſthenis præcipitiis nequaquam eſt conferenda. Sed & Virgilius navigationem Æneæ in Italiam recenſens, nullam Boryſthenis, nullam Ponti Euxini, nullamque Helleſponti ab Ænea trajecti, quæ omnia tamen trajicienda claſſi Dardanorum erant, facit mentionem. Certè Homerus de Boryſthene noſtro tacet, & nos cum eo. Quæ verò & quorum hominum cadavera in Cryptis Kijovienſibus incorrupta hactenus oſtenduntur, infrà ſpectabimus. Quapropter fabulas iſtas ſuis remittimus auctoribus.

III. 2. Hoc autem diſquiſitione accuratiore dignius eſt. *An Kijovia exilii Ovidiani ſedes fuerit?* Ad quæ nonnulli variis adducti rationibus, variè reſpondent. 1. Affirmantes nituntur hiſce argumentis. α. Quia Auguſtus Octavius Cæſar Poëtam Ovidium ad Scythos relegavit. Jam verò Roxolani Boryſthenidæ, quorum oppidum

dum est Kijovia, olim gens erant Scythica è Scythis oriunda, teste Herodoto in Melpomene lib. 4. qui gentem illam Scythas vocat agricolas, quos Græci, qui sub Hypane incolunt, Borysthenidas appellant, ipsi verò se Olpiopolitas. Hi autem populi sunt Cosacci falcigeri, Ukrainam tractumque Borysthenis hodie usque ad Moscoviam sese porrigentem incolentes, de quorum esculentis Herodotus loc cit. hæc scribit. *Horum utriq;* (scilicet Callipidæ, qui sunt Græco-Scythæ, hoc est, è Græcis facti Scythæ & Halizones) *cum in cæteris servant ritum Scytharum, tùm in serendo, tùm in vescendo, cepe, allio, lente, millio, Supra Halizones incolunt Scythæ aratores, qui non ad panem conficiendum serunt triticum, sed ad illud torrendum.* Præterea docet nunc laudatus Scriptor, quòd Borysthenes in suo tractu pascua præbeat amœnissima, pecoribusque accommodatissima, juxtà quem sementis optima sit, & herba non sativa altissima. Si ergò Herodotus Borysthenem inter flumina Scythiæ constantissimè recenset, an non gentes Ruthenæ à Ponto Euxino usq; ad Mo-

scovi-

scoviam Borysthenem hodie accolentes, ingenio, moribus, victu allii, ceparum, lentium, & milii, ac ferè eadem Christiana gaudeant Religione? Ergò Kijovienses, aliique Borysthenidæ Cosacci, olim Scythæ erant, adeoque & Ovidii Poëtæ exulis hospites. Ovidius Borysthenem, gratus hospitio exul, mirificè laudat, lib. 4. de Ponto, Eleg. 10.

Cumq; Borysthenio liquidissimus amnè
Dryaspes &c.

IV. Qui verò negant Kijoviam Ovidiani exilii fuisse sedem, ipsius exulis ducuntur testimonio, qui lib. III. Tristium Eleg. 9. relegatum se in oppidum Thraciæ TOMOS ita luget:

Inde Tomos dictus locus est, quia fertur, in illo
Membra soror fratris consecuisse sui?

Jam verò pars illa Thraciæ sita est Istri inter & Borysthenis ostia, quibus sese grandes illi Europæ fluvii in Euxinum Pontum effundunt. Quid, quod exul ipsemet sedem exilii sui, oppidumque Tomos dictum, Istro sive Danubio proximum esse, lib. 4. de Ponto Eleg. 6.

Et prius hinc nobis nimium conterminus
Ister.

Præterea in littore maris Euxini, non autem in ripa Boryſthenis exulare ſe Ovidius triſtibus admodûm elegiis in libris Triſtium & de Ponto luget, Eleg. 3.

Littus ad Euxinum, ſi quis mihi diceret, ibis,
Et metues arcu ne feriare Geta.

Eleg. 10. *Hic mihi in Euxino bis tertia ducitur æſtas,*
Littore pellitas inter agenda Getas.

Manet ergò immota hæc aſſertio, Ovidium Poëtam, inter Scythas quidem ſteriles, qui ante ſecula ſeptem & decem, Getarum nomine in Orbe audiebant, in maritimo Euxini oppido *Tomos*, in cujus littore frequenter deambulans Ovidius ſpe Auguſtæ Octavii Cæſaris Clementiæ ſuum levabat exilium, non autem inter Scythas aratores & cultiores: hoc eſt, in terrâ Boryſthenidarum Coſaciorum; (*Ukráina* vulgò hodiè appellatur) multo minus in Urbe *Kijovia* exulaſſe; adeoq; nobili huic Ruthenorum Urbi Kijoviæ S. Andreæ Apoſtoli potius largimur Evangelii miniſteri-

sterium, (de quo mox agemus,) quàm Nasonis Romani exilium asserimus.

CAPUT III.

De ORIGINE CRYPTARUM KIJOVIENSIUM.

SUMMARIUM.

1. *Seculo X. tria in Oriente memorabilia.*
2. *TZAR, Moscoviticum non est Cæsaris, sed Regis nomen.*
3. *Roxolani seu Rutheni (Russi) quinquies baptizati.*
4. *Cryptæ Kijovienses seculo X. fodi cœptæ.*

I.

QUæritur non immerito: *Quando Cryptæ Kijovienses fodi cœperint?* Quod quidem certiùs aliunde cognosci nō potest, quàm ex libro Sclavonico ΠΑΤΕΡΙΚΟΝ suprà allegato: in quo Patrum Cryptо-Kijovienſium vitas Nestor Ruthenorum Chronographus prolixè & paucis enarrat, qui liber Kijoviæ A. C. M. DC. LXI. typis editus est Sclavonicis. Initia autem

autem Cryptarum Kijovienſium Neſtor ſtatuit in Anno CHRISTI milleſimo. Quo ſeculo decimo tria in Oriente accidêre memorabilia. I. Deplorata illa Eccleſiæ Orientalis Græcorum ab Occidentali Latinorum ſeceſſio, quam Baronius Anno Chriſti 1008. eſſe factam tradit; II. WLODIMIRUM SWIATOSLAUM Ruthenorum Ducem Cæſarem creatum, idque factum eſſe hac occaſione in præfatione libri Παπεικὸν in Polonicum ſermonem ab Epiſcopo KLOSSOVIO translati, aſſeritur.

II. Cum *Conſtantinus Monomachus* Imperator, in Oriente cum Perſis, & in Occidente cum Latinis bellum gereret: Wlodimirus Dux Ruſſiæ quoque expeditionem contrà eundem Cæſarem in Thraciam inſtituebat. Ut itaque Conſtantinus arma ejus à ſe averteret, per Legatum ſuum Epiſcopum quendam Epheſinum coronam Cæſaream, ſceptrum & Crucis Sanctæ lignum in diſco aureo ei dono miſit, adeoque hoc facto Ducem Wlodimirum, primum Magnæ Ruſſiæ Cæſarem creavit. Indeque Magnos Duces Moſcoviæ

viæ Cæsares se,&,contracto nomine Sclavonico, TZAROS hactenus dicere atque scribere. Sed clarissimus Historiæ Lithvanæ scriptor *Albertus Kojalowicz*, Parte II. lib. 7. pag. 411. contrarium statuit. *At*, inquit, *propè perfectam rem, nova à Moscis injecta concertatio, vix non præcipitavit. Seu debellatâ, seu attritâ victoriis nuper Casanensi Scythiâ* IVANUS *usurpare cœperat titulum Tzaris: quo Scytharum Reguli more ejus gentis uti fuerant soliti. Sclavonica ea vox, non significat Cæsarem aut Imperatorem, quemadmodum exterorum aliqui, ignoratione idiomatis mixtâ adulationi, lapsi, vocitare solent Magnum Moscoviæ Ducem; sed Regem. Legati tamen Regii, quod homo arrogans insolentem titulum privatâ auctoritate invasisset, Rege suo insscio, recusabant constanter, eum fœderis titulis præfigere.* Hactenus KOJALOVVICZ. Unde manifestum est. 1. Vocabulum TZAR Sclavonicum, non Cæsarem significare, sed Dominum regnantem sive Regem: siquidem Moscovitæ omnesque Roxolani DEUM etiam in precibus suis Tzarum omnipotentem appellantes, hoc nomine

ac titulo invocant, quod ego lingvæ Sclavonicæ haud omninò imperitus, vel in centum precatiunculis in ΕΥΧΟΛΟΓΙΩ ipsorum Græco-Rutheno extantibus legi. Quin eodem Tzari titulo alios quoque Reges exteros Historici Ruthenorum appellare non dubitant. Adeoque vox Sclavonica CZAR (vel Germanica pronunciatione TZAR) non Cæsarem significat, sed Regem. 2. Demirari ergò satis non possum, quo auctore Kossovius Episcopus, WLODIMIRUM SVVIATOSLAUM ab Imperatore Orientali CONSTANTINO MONOMACHO, missis ei dono Imperii insigniis, Cæsarem Magnæ Russiæ creatum esse, Anno CHRISTI millesimo, aut millesimo octavo asserat; cum Anno M. D. XLVIII. Dux Moscoviæ Joannes Sclavonicè IVVAN dictus Basilides, annis quingentis ad quadragesimum quintum ab excessu Wlodimiri Svviatoslai demum, novo atque inaudito Polonis exemplo, titulum Tzari primus sibi arrogaverit?

III. Tertium est, insigne & consummatum in Russos DEI beneficium, quod, abje-

abjectâ & ejuratâ turpi paganorum idololatriâ, fidem Christianam amplexi, atque mox baptizati, cum Duce WLODIMIRO, ad oscula JESU CHRISTI Filii Dei admissi sunt. Qua Dei misericordiâ recreati in fide Christi secundum Græcorum ritus, constantissimi posthac perstitêre, perstantque adhuc. Constantissimi adhuc, inquam, perstitêre: namque Russia quater antehac in mortem Christi baptizata, reluctantibus ipsorum Ducibus Idololatris, in pristinas denuò Ethnicorum tenebras recidebat. Et quia id non omnibus constat, paucisque Sclavonica Ruthenorum lingva, ritus sacri, nec non mores perspecti sunt; facturum me è re publica existimo, si Ruthenorum (olim testibus Herodoto & C. Curtio, Scytharum) ad fidem Christianam conversionem, è præfatione libri ipsorum Sclavonici ΠΑΤΕΡΙΚΟ'Ν dicti excerptam, tùm etiam, quæ fando mihi auctoribus gravissimis cognita sunt, publicè & palàm fecero.

IV. Ita autem Ruthenorum Chronographus Nestor Παπερικὸν part. 1. nec non Bzovius Annal. Tom. 19. Anno 1514. &

Gvagninus in descriptione Moscoviæ tradunt. Roxolani, hoc est, Russi Orientales, Septentrionales, & Meridionales, primùm ad CHRISTUM conversi & baptizati sunt ministerio Apostolico. Namque cum *S. Andreas* Apostolus in Chersoneso Taurica partibus Evangelii defunctus, in Russiam Septentrionalem adverso Borysthene navigaret, fortè in itinere montes Kijovienses ascendit. Cui loco benè precatus crucem sanctam in monte, ad cujus radices nunc porta Civitatis Kijoviæ erecta est, defixit. Idem Nestor est auctor, S. Paulum Apostolum, cum in Dalmatia Sclavonis Evangelium prædicaret, Russorum quoq; gentes confines ad Baptismum S. invitasse. Post excessum verò ejus S. Andronicum; successu quidem ob Tyrannidem imperantium illa tempestate in Russiâ Ducum, parum felici tentasse idem fertur.

V. Secundùm baptizati sunt Roxolani seu Rutheni Anno Christi 863. sed rectiùs ex calculo Funccii & Æneæ Sylvii Anno Christi 861. Imperante in Oriente *Michaële* Cæsare, *Photio* verò Patriarcha Constanti-

ſtantinopoli ſedente, quo ſeculo, imò anno Seculi eodem Poloni quoque Chriſti Evangelium miniſterio Cyrilli & Methodii amplexi ſunt; A quibus Sclavorum ac Polonorum Apoſtolis Cyrillo & Methodio religio, cultusque ſacer lingvâ Sclavonum vernacula conſcripta, ac præterea multi alii libri in eandem lingvam translati ſunt. Baptizatos autem primùm fuiſſe Duces Ruthenorum *Swiatopolkum*, *Roſcislaum* & *Kocelium*, qui, divinitus moniti ab Imperatore ſuprà memorato Michaële miſſionem Cyrilli ac Methodii petierunt, eamque tandem impetraverunt, quâ de re Neſtor, Sclavus, Baronius, Funccius, Cromerus, Stricovius & alii pluribus ſcripſerunt.

VI. Tertius Ruthenorum baptiſmus incidit in Annum Chriſti 878. ſecundùm Baronium Tom. 9. Annal. Anno Chriſti 886. imperante Baſilio Macedone. Hic Cæſar Epiſcopum quendam, cujus nomen Annalibus ignotum eſt, in Ruſſiam miſit, ut Sclavis *Chriſtum* prædicaret, eosque baptizaret. Rutheni verò audito Evangelio fidem detrectantes, miracula poſtula-

bant. Quapropter Episcopus Evangelii librum in ignem projicit : quo flammis nihil quicquam læso, multi Roxolanorum miraculo attoniti Christo mox nomen professi baptizabantur.

VII. Quartum Roxolanorum Baptismum OLHA Uxor Ducis Russiæ, avia verò WLODOMIRI Anno Christi 958. exemplo suo procuravit. Profecta enim Constantinopolim, imperante Græcis Constantino VIII. sedente verò, post fata Theophylacti, *Polieucto*, ibidem à Patriarcha baptizata, atque benedicta inter mulieres Roxolanas appellata est. Baronius Anno 958.

VIII. Tandem, Wlodimiro Sviatoslaõ Russiæ gubernacula tenente, omnes in universum Rutheni Anno Christi 1000. vel calculo Baronii 1008. cõversi ad Christum & baptizati sunt, idque factum est hoc successu : Fortè tunc *Cyrus* Philosophus WLODIMIRUM Russiæ Orientalis, Septentrionalis atque Occidentalis Monarcham ad Religionem Christianam informabat. Cum enim WLODIMIRUM, abjectis gentilium superstitionibus, novam

vam meditari religionem fama esset publica, miserunt ad eum Judæi, Saraceni, Itali, & Græci nuncios, qui suam quisque ei religionem commendarent. Wlodimirus autem, spretis reliquarum gentium ritibus, Græcorum amplexus est sacra, autore Cyro Philosopho, qui Principi huic Articulos Fidei Christianæ prolixè inculcabat, insuper aulæum, in quo ultimum Dei judicium faberrimè acu depictum erat, à Cæsare & Patriarcha Constantinopolitano ipsi dono missum, subinde ei ostentabat. Quam historiam Wlodimirus frequentius aspectans quærebat ex Philosopho, quodnam genus hominum â dextrâ Judicis staret? Acceptoque responso, à dextrâ Christianos esse, quorum fides bonis operibus esset illustris atque conspicua; à sinistra verò omnes fore infideles sacro Baptismi lavacro nõ expiatos, haud leviter affectus ingemuit, beatosque à dextris, miseros autem à sinistris Judici adstantes pronunciavit. Cui Philosophus: & tu, inquit, Wlodimire baptizatus olim inter beatos à dextris recenseberis. Quo dicto, Wlodimirus totum se fidei cultui-

que

que CHRISTI addixit. Cùm autem, utra sectarum Christianarum esset sanctior, nesciret, misit è vestigio Legatos, qui fidem & sacra Christiana inter gentes varias dispicerent. Qui, multis tentatis gentibus, habitoque sacrorum delectu reduces, Græcam Principi suo præ cæteris religionem maximè commendabant: tantam scilicet in Missa Græcorum cui intererant, testabantur se dulcedinem sensisse, ut penè extra se rapti magis cœlesti, quam terrestri solennitati se putaverint interfuisse. Wlodimirus autem, jactis nondùm in religione Christiana fundamentis, postquam exercitus Novvogrodii & Kijovienſis virtute Cherſoneſum Tauricam, (hodiè Peninſula Tartarorum Precopensis vulgo audit) occupasset, missis ad Imperatores Græcorum fratres germanos Basilium & Constantium legatis, *Annam* sororem ipsorum in matrimonium sibi deposcebat. Cumque Imperatores, daturos se Wlodimiro sororem in matrimonium, sed non nisi Christiano, respondissent; Regessit Wlodimirus, se religionem Christianam ritusque Græcorum

jam

jam pridem probaſſe, mitterent modò Epiſcopum ad ſe, qui Baptiſmi aliisque ſaeris apud ſe operaretur. Quo reſponſo exhilarati Cæſares, ſorori germanæ Wlodimiri nuptias vix tandem perſvaſére. Quapropter Princeps auguſta, tot gentium ſaluti velificatura, Corſunium Cherſoneſi Tauricæ metropolin magno apparatu advenit. Accidit autem, ut Wlodimirus Sponſus fortè tùm uſu oculorum ex improviſo privatus, ſe Diis gentilium ultoribus iſtam luere pœnam credens, de Baptiſmo ſuo jam deſperaret. Cui autem Sponſa Auguſta benè ſperare juſſo, *baptizare modo*, inquit, *Wlodimire, & recuperabis valetudinem priſtinam*: quod ipſum etiam ſine mora effectum eſt. Namque cum Archiepiſcopus Corſunenſis manu vertici impoſita benè ipſi precaretur, continuo quaſi ſquama quædam ab oculis ejus defluxit, Wlodimirusque viſu recuperato Deum glorificavit: *nunc primum*, inquit, *Deum verum cognovi*. Peractis nuptiis Wlodimirus jam Chriſtianus, nactus à Patriarcha Conſtantinopolitano *Sergio* Metropolitam primùm *Michaëlem* (Stricovius

covius Facyonem vocat) Kijoviam cùm Uxore Anna profectus, idola gentilium ibidem evertit, omnes Roxolanos Baptismos expiari, seque in fidem Christi dedere jussit: qua de re Stricovius lib. 4. fol. 141. plura tradit.

IX. Illis ergò tàm faustis Ruthenorum initiis Cryptæ fodiebantur primum, aut effossæ jam alicubi obiter producebantur. Non enim, imperante Svviatoslao Wlodimiro, Cryptæ in Russia fodi primum cœpere: siquidem superioribus Roxolanorum baptizationibus Viri religiosi, metu Tyrannorum Ethnicorum, antra hujusmodi subterranea, quibus tutò laterent, forsan fodiebant, quod ipsum è libro πατερικὸν in Vita S. S. Antonii & Theodosii divinare licet.

CAPUT IV.

De AUCTORIBUS CRYPTARUM KIJOVIENSIUM.

SUMMARIUM.

1. Cryptæ subterraneæ sedes Exulum. 2. Pri-

2. *Primi Cryptarum Kijovienſium auſpices incerti.*
3. *Sancti Dei heroës, honorandi etiam poſt fata modo debito.*
4. *B. Lutheri memoria Sancta.*
5. *Non Trojani, ſed Roxolani Cryptarum Kijovienſium fundatores.*

I.

FOſſores Cryptarum varii variarum, adeoque profani profanarum, Sacri ſacrarum ſunt. Cumque mihi de omnibus Cryptarum generibus hoc loco agere non propoſuerim; ideo neque foſſores alios, præterquam ſacros, in ipſorum Cryptis inveſtigabo. Conſtat autem ex Hiſtoriâ ſacrâ, in primitiva Chriſtianorum Eccleſia, Martyres & Confeſſores exules, nec non Monachos & Eremitas, tempore atque metu illarum Univerſalium decem perſecutionum, in montium & ſylvarum ſpecubus latitaſſe: aliquos etiam ſalutis ſuæ gratia nova ſibi ſub terris antra effodiſſe, uti Apoſtolus ad Hebr. 11. v. 37. 38. teſtatur: *Circumiebant in ovillis, & caprinis pellibus egentes, preſſi, afflicti, quibus Mundus non erat dignus, errantes in ſolitudinibus,*

bus, in montibus & ſpeluncis, & in cavernis terræ.

II. Pari ratione Kijovienſes aliasque Ruthenorum Cryptas viri olim Martyresq; ſancti ac religioſi à Principibus Ethnicis rerum potientibus afflicti, ſe tuto in eas reciperent, excavârunt. Cum autem de primis & antiquis admodum meatuum Ruthenicorum foſſoribus nemini hodie ſatis conſtet; quare nec liber Patrum Crypto-Kijovienſiũ hac de re quicquam tradit aliud, quàm quod ſancti ipſorum atque religioſi Hilarion, Antonius, Theodoſius, aliique Patres, ſacrorum ac religionis ſecretioris gratiâ, Kijovienſes aliasque ſpecus, ſub montibus Roxolanorum, temporibus diverſis, & maximè quidem Æræ Chriſtianæ ſeculo IX. & X. effoderint: adeoque nunc recenſitos Patres, poſt antiquiores ſeculoque Apoſtolico propiores, non jam fundatores, ſed continuatores duntaxat & amplificatores Cryptarum Ruthenarum fuiſſe ex PATERICO Sclavonico palam eſt. Cadit igitur opinio Flori Polonici, qui Italos Cryptis elaborandis ſuam contuliſſe operam Kijovi-

jovienſibus, forſan errore vulgi adductus, tradit.

III. Quos Cryptarum Kijovienſium autores ſacros incolæ ea venerantur religione, ut eos Angelos terreſtres atque Homines cœleſtes nuncupare atque ut Divos colere religiosè haut dubitent. Quod quidem modò abſit ſuperſtitio, longè ardentiore faciunt pietate, quam nos Lutherani ergà B. Lutherum noſtrum, qui Occidentales fermento humanarum traditionum infectas atque ſub jugo Antichriſti jam procumbentes Eccleſias priſtinæ ſanctæ & Apoſtolico-Catholicæ Eccleſiæ ſinceritati atque libertati reſtituit. Utinam eum, aut Angelum terreſtrem, aut Hominem cœleſtem, gratiſſimo Kijovienſium erga fundatores ſuos exemplo, aut graviſſimo Apoſtoli Pauli monito, Hebr. 13. v. 7. Vicarium Germanorum Apoſtolum, doctoremque divinum reputaremus. Sunt autem ex nobis, qui Beatos Patriarchæ noſtri Lutheri manes aſpiciunt quidem & mirantur, imò aſſulas è lecto ipſius Magdeburgi in Cœnobio Auguſtinianorum, ad ſuperſtitioſam ſtultitiæ ſuæ oſtentationem

nem radunt, & Manuscripta ejus in raris habent deliciis; ast doctrinam ejus sacræ scripturæ & Conciliorum Oecumenicorum, nec non Aug. Confessionis Canonibus conformem, quæ multo certamine constitit, & Martyrum Evangelicorum sangvine, nec non tanti Herois constantia non flocci jam pendunt, nec ita, ut par erat, æstimant, omnino degeneres Patrum filii. B. Lutherus monstravit nobis vera Imaginis Divinæ, adeoque & concreatæ nobis in Adamo justitiæ ac Liberi Arbitrii ante lapsum privilegia, eorundemque post lapsum jacturam, atque inde resultantia damna, & perniciem nunquam satis deplorandam. Idem Sanctus Pater Lutherus, profligatis hominum meritis, certissimum nobis debitoribus in solius Filii DEI Jesu Christi vulneribus solutionis pretium atque peccatorum veniam, adeoque & omnem justitiæ ac salutis viam in adorando solaque Fiducia apprehendendo Filii DEI MERITO, sub Papatu illo tempore mortuis sanctorum operibus animas Christianorum fascinantibus, indice Apostolico, quasi postliminio demon-

monſtravit. Præterea SS. Cœnæ JESU CHRISTI, ſacramentum in Occidentali Eccleſia, Papæ & Cleri Romani ſacrilegio mutilum, ac ſequiore forma & uſu profanatum, ſuæ & integritati & ſinceritati reſtituit. Quo autem nos in precio tam pios B. Lutheri, non jam dico manes, ſed quæ res ſalutis noſtræ eſt, tàm auguſtam miniſterioque ipſius integritati ſuæ reſtitutam Apoſtolicam doctrinam, hodie habemus? Cumque ſancti in cœlo non ſua, ſed unice Agni JESU CHRISTI ad dextram Patris ſedentis merita agnoſcant, eoque nomine DEO gratias agant, Apoc. 5. v. 9. cur nos in terra peccatores pia ipſorum opera appellemus meritoria, cum, præter Univerſale Chriſti NOMEN ac MERITUM, nullum aliud detur ſaluti noſtræ Meritum Actor. 4. v. 12. Veneremur igitur, laudemus ſolenniter, atque imitemur cum B. Luthero ſanctorum in cœlo triumphantium pietatem atque in fide Jeſu Chriſti conſtantiam, ſed ſalutis noſtræ anchoram in unico ejusdem MERITO jaciamus, & ſic gratia ipſius Domini noſtri JESU CHRISTI, quemadmodum omnes ab Orbe con-

condito Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, omnesque Sancti, per fidem in eum salvabimur certissimè. Ita credimus, ita vivimus in CHRISTO & morimur Lutherani, utinam etiam tanto FILII DEI erga nos merito grati! sed ad nostra.

IV. Si igitur Cryptarum Roxolanarum & quidem singulariter Kijovienſium autores sacri sunt & Christiani; tunc profectò fama vulgaris atque imperita, Ethnicos Trojanos easdem pro suorum Regum atque Heroum Mausoleo effodisse, imperita est, atque mendacissima.

CAPUT V.

De MATERIA CRYPTARUM RUTHENICARUM.

SUMMARIUM.

1. *Materia Cryptarum terra compacta.*
2. *Cryptæ Kijovienſes ſul Boryſthene non hiant.*
3. *Nec plus ultra ſe porrigunt.*

4. *Flo-*

4. Florus Polonicus Germanice nuper editus, refutatur.

I.

MAteria Cryptarum Ruthenicarum, procul dubio est terra limosa, pingvior ac solidè compacta, atque ita comparata, ut ligoni, & palæ fodientis facile cedat, seque in varios anfractus duci patiatur. E cujusmodi terra fornices hypogæi & Cryptæ Ægyptiæ, Regum aliorumque condendis corporibus, sub terra exasciatæ sunt, quâ de re Historici prolixè tradunt.

II. Sed nec hoc prætereundem est, quod incerta rerum fama vulgò tradit, ut fieri solet in rebus humanis, ubi multa finguntur, multa in majus attolluntur. Primùm quidem ferunt, Cryptas Kijovienses subter Borysthenem suos producere fornices. Ita enim Florus Polonicus Noribergæ A. C. 1666. ab auctore INDIFFERENTE Germanicè editus ait: Sonst soll von hinnen ein Gang unter der Erden/ biß nach Smolensko/ und zwar unter dem Nipper oder Dniester-Strohm durchgehen/ und mit lauter gegossenem Me-

tall inwendig gefüttert seyn/ woraus die alte vorige Herrligkeit dieses Orts abzunehmen/und wird der Bau solches hochkostbahren verborgenen Ganges den Italienern zugeschrieben. Frölichius berichtet/daß die Länge desselben auf 80. Römische Meilen sich erstrecke. Darüber man billig möchte vor Verwunderung erstaunen: Zumahlen weil eine Reussische Meil noch etwas gröser/weder unsere Teutsche. Quæ autem laudandus infrà Archimandrita Kijovienſis negat; forſan, quia meatus illi ſinuoſi non eâ ſunt profunditate, ut infra Boryſthenis alveum abdere ſeſe queant, quod quidem procul dubio ita eſt.

III. Alterum vulgi commentum eſt, Cryptas Kijovienſes longitudine ſua usque ad Cryptam Czernichovienſem, & (uti alii magis ſtrenuè mentientes affirmant) Smolenſciam atque Pieczorienſem Moſcoviticam ſeſe porrigere. Quod verò ceu abſurdum falſumq; accolæ Boryſthenidæ rident. Namque oppidum Moſcoviticum Pieczora ab Urbe Kijovia ferè ſeptem gradibus elevat. Poli: hoc eſt, ampli-

amplius centum milliaribus distat. At quis mortalium tantum perfodere, aut facere sub terra iter potest?

IV. Tertium grande nimis & vix fungis ipsis verisimile, Florus & Froelichius in suo Viatorio, invitis atque reclamantibus Ruthenis, tradunt, Cryptas Kijovienses in sua amplitudine incredibili intus ære fuso (mit lauter gegossenem Metall inwendig gefüttert) subductas esse. Quid hâc de re sentis, Lector? Numquid Cryptæ sub terrâ amplius centum milliarium Germanicorum longitudine effodiendæ mille anni, talenta autem millena sufficerent? Numquid tantum æris in Orbe terrarum dari putes, quod huic portentosæ Cryptæ intus ad octoginta milliaria vestiendæ esset satis? Miror igitur, Viros doctos ista, ceu vera, incerto autore & argumento tradere; sed ad Formam.

CAPUT VI.

De FORMA CRYPTARUM KIJOVIENSIUM.

SUMMARIUM.

1. *Cryptæ Kijovienſes, Labyrinthus ſacer.*
2. *Non naturales, ſed artificiales ſunt.*
3. *Ideæ Cryptarum.*
4. *Johannes Fabricius Polonus Kijoviæ relictus inter varias gentes ſolicitè quæritur?*
5. *Archimandritæ Rijovienſis literæ reſponſoriæ.*

I.

FOrmam Cryptarum Kijovienſium contemplantes, Deum immortalem! Quos ductus ibi? quæ à lateribus conclavia? quos denique ibi flexus atque anfractus ſinuoſos videmus! Labyrinthum ſubterraneum ſi dicit Ruthenus, haud præfiſcine dicit, nec à vero abludit. Etenim Viator, illorum ignarus meatuum, Cryptam ingreſſus, niſi aut manudoctore, aut filo

filo Ariadnæ fuerit usus, tortuosis implicatus fornicibus, egredi inde non poterit.

II. Hæ igitur Cryptæ memorabiles, non naturales, sed devotâ industriâ, arteque Patrum religiosorum admirandâ variè sunt elaboratæ. Quippe ibi cellæ, conclavia, mausolea, cubilia, &, quod fidem publicam superat, templa quoque, Antonio & Theodosio auctoribus, faberrimè constructa exstant: cujusmodi templum sub Kijoviæ Veteri Monasterio hodienum attonitis videre licet viatoribus. Nestor in Παπεϊκῷ cap. 1. de Vita S. Antonii, & Florus Polonicus Indifferens loc. cit.

III. Et quia nec Cryptas istas, nec ideas earundem spectare hactenus licuit publicè cuipiam. Proinde gratificaturum me Lectori abditarum rerum curioso existimo, si huic dissertationi meæ duarum S.S. Antonii & Theodosii Cryptarum Kijovienſium ideas, quas mihi Reverendissimus IGNATIUS GIZIEL, hoc tempore Archimandrita Pieczaro Kijovienſis, pro summa sua atque inter Ruthenos rarâ ergà exteros humanitate, Vir omnimoda Lingvarum ac scientiarum, quas sibi in mul-

tis Europæ Academiis atque peregrinationibus acquisivit, eruditione atque experientia instructissimus, mihi Kijoviâ dono misit, scriptisque in eam rem manu propriâ literis, de Cryptarum Kijovienſium natura me hac de re ipsum, qua par erat observantia, appellantem abunde informavit, de quo beneficio magnam ipsi habeo gratiam.

NB.

IV. Has Ideas accurato Archimandritæ suprà laudatissimi studio delineatas singulari nactus sum occasione. Cum enim Anno 1672. ab Ecclesiæ Vilnensis Invar Aug. Confes. addictæ Provisoribus Stockholmiâ Wilnam ad functionem Ecclesiasticam, fato meo admirando vocatus sancto Evangelii Ministerio, jussu Eminentissimi Archi-Episcopi Upsalienſis Dn. LAURENTII STIGZELII, à Reverendissimo Revaliæ atque Æsthoniæ Episcopo Domino M. JOHANNE JACOBO Pfeiffer Ordini sacro, ibidem Stockholmiæ in templo Germanorum, die 30. Mensis Julii solenniter allectus, Rigam Livonum

CELLA Monachorum

SEPTENTRIO

HOROLOGIUM RUTHENUM

Scriptio Ruthenica.

Слава тебѣ Боже
нашь, слава тебѣ.
Psalm. 128. v. 4.
Се такw блъвнтсѧ чакъ
боѧйсѧ Гда, амин

Templum B. Mariæ Deiparæ super monte vitifero.

OCCIDENS

Mardari

Ducus destructus. Hæc platea est ruinis angusta.

Simon

Aquila

Templum Theodosii

Tumba Theodosii

Macarius

Ducus vacuus

Gran. in

Benjamin

Ecclesia

Ecclesia S. Crucis

Templum

Lavra

S. Andreæ

S. Theodosii

Templum

ORIENS

BORYSTHENES

Ducus vacuus

Gerasimus

Ruffinus

Moſes

Ammon

Arthur

Nestor

Ducus vacuus

Cassianus

Paphnutius

Kindor

Theodorus

Iosephus

Titus

Arsenius

Pimen.

Athanasius

Gerontius

Gregorius

Lucas

Plissius

Mercurius

Crania Oleifera

Templum B. Virgin.

Hujus Crypta ductus ipse obstructus est

Index et notæ officiorum, quibus dormientes in hac Crypta Patres, dum viverent, defungebantur.

Episcopus
Eroschi Monach ⊕
Diaconus Δ
Clausus
Heros R
Konarchister K
Ieiunus Π
Thaumaturgus Ч
Senex C
Laboriosus T

CRYPTA ALTERA THEODOSIA, quam Hilarion primum cœpit fodere, sed Theodosius absolut, in ea annis quadraginta habitavit, tandem que sepultus est.

MERIDIES

SEPTENTRIO

HOROLOGIUM RUTHENICUM
S·3·H·⊙·L·Al·Bi·A·B·I·A·C·

Eustaphius
Nestor chronologus
Eustatius
Ellodius
Mathei
Lucas
Moses Hugbar
Iohannes
Ephrem Chuchus
Gregorius
Aretas
Ieremias
Marcus fossor
Aqua consecrata
Perguis
Erasmus
Onesimus
Matheus
Nicolaus Suiatus
Elias
Gregorius pictor
Onophrius
Ephrem
Anatolius Spiridon Asymnius pictor
Silvester
Piminus jejunus
Piminus
Smolensensis
Mercurius Fuscorus
Sergius
Nectarius
Sava Taumaturgus
fratres
Damianus
Medadius
Agapetus
Iohannes et Theophylus
Barlaam
Basilius Theodosius
Larentius
Nicon
Titus
cella
cella
jejunus
Michael
Elias
Kakus
Capita olifera
Abraham
Onik
Nicon
Duodecim cæmentarii
Templum Purificationis Mariæ
Simon
Nicetas
Theophylus
Capita olifera
Introitus per Templum in Cryptam
Hæc platea procedit ad Aedem in Cryptam
Anastasius
Sepulchrum
Antonii
Ioannes jejunus
Prochorus
Columna obscuris
Aqua consecrata
Basilius
Theodosius
CRYPTA Major ANTONIA
OCCIDENS
ORIENS
BORYSTHENES
MERIDIES

Dona et virtutes cum mentium in Cruce hoc
Metropolita
Episcopus
Ihumen
Sacerdos
Diaconus
Martyr
Clausus
Princeps
Pistor Prosphor
Pictor inaurans
Afflictus
Perspicax
Medicus
Thaumaturgus
Senex
Laboriosus
MENSIS

Ab hac parte Meridionali Templi Exaltationis S. Crucis versus orientalem plagam Borysthenis sunt passus 390.

num trajicere, indeque ad sedem Ministerii mei, quod vacare mihi legitimè tùm credebam, Wilnam proficiscì constituissem: adiit me nobilis quædam Matrona Domina APOLLONIA de Naglowo Naglovvstca, Nobilis & Experientissimi Medici Doctoris atque hoc tempore Practici Stockolmiensis GEORGII GERNHARDI Uxor, conquestaque multis lachrymis, quòd cum Anno 1648. in Ukraina ultrà Borysthenem, unà cum prioris conjugii marito suo PHILIPPO FABRICIO Illustrissimi olim Ducis WISNIOWIECKI Archiatro ageret, filium unicum annorum duodecim JOHANNEM FABRICIUM Kijoviæ Jesuitis illo tempore ibidem in Collegio profitentibus instituendum, pellioni verò, cujus nomen non meminerunt, propè portam Salvatoris habitanti sustentandum, commendârunt. Interea Parentes aliquot milliaribus ultrà Borysthenem ad oppidum Ducis Wisniovviecii LOCHVVICA profecti erant. Ubi mox rebellio Cosaccorum in Polonos Duce CHMIELNICIO exorta est, quæ adeò sæviit, ut miseri Parentes, relictis fortu-

fortunis per Albam Russiam, fugâ Vilnam Lithvanorum evadere, salutiqúe suæ, relicto Kijoviæ filio, consulere coacti sunt, de qúo autem filio suo JOHANNE FABRICIO, ubi ille nunc sit gentium, aut an superstit adhuc vivus, nihil quicquam certi Parentes mœsti cognoscere hactenùs potuêre. Ego itaque, commisso mihi à Domina APOLLONIA munere defuncturus misso, publicâ Nobilissimi Magistratus Vilnensis auctoritate, Kijoviam tabellario dataque ad Reverendissimum Archimandritam Pieczaro Kijovienſem in eam rem epistola,& impetratis à Venerabili Domino MARTINIANO WOLOSLOWICZ Ordinis S. Basilii in Cœnobiis, Vilnensi ad Spiritum S. & Coronensi in M. D. Lithvaniæ Abbate, magno meo fautore olim & amico familiari, ad eundem Archimandritam nec non ad Reverendissimum Archi-Episcopum Czernechovienſem & Novvogrodienſem Dn. LAZARUM BERRANOWICZ literis commendatitiis, suprà memoratum JOHANNEM FABRICIUM Polonum, passim per totam Lithvaniam & Ukrainam, cis

cis & ultrà Boryſthenem, usque ad Pontum Euxinum, in Monaſteriis & Curiis Ruthenorum inveſtigavi : ſed proh dolor ! & opera & oleum, impenſique ſumptus fruſtrà fuêre, adeoque excesſiſſe eum à conſortio mortalium , nec uſpiam ſupereſſe amplius inde conjicio. Siquidem laudatus jam Senatus Vilnenſis ipſemet, de errore aut jactura Fabricii ſollicitus, me commiſſa mihi inquiſitione, gnaviter eſſe defunctum, publico teſtatur ſcripto ac ſigillo, quod ego huic appendo diſſertationi , ut ſi quiſpiam de præfato JOHANNE FABRICIO Polono quidpiam inaudiverit, aut ipſi de eo, ubicunque ſit gentium, aliqua fortè fuerit, aut ſit jam notitia, ſollicitæ de Filio matri APOLLONIÆ, aut mihi ejusdem hâc in re procuratori indicare dignetur, quod ego per miſericordiam DEI omnes publicè obteſtor atque rogo humillimè.

TESTIMONIUM NOBILISSIMI SENATUS VILNENSIS IN MAGNO DUCATU LITHVANIÆ.

Sabbatho ante Dominicam Rogationum

num die Vigesima Octava Mensis Aprilis, Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Septuagesimo quarto.

AD requisitionem & juridicã postulationem Reverendi Domini JOANNIS HERBINII Ecclesiæ Saxonicæ Vilnensis Ministri, constituti personaliter, coram Nobili Officio Consulari Vilnensi Honorati Domini, STEPHANVS & MICHAEL KVSZELICZOVVIE, fratres germani, Cives & Mercatores Vilnenses, tanquam fidejussores Honesti CORNELII ADAMOVVICZ Civis Vilnensis, recognoverunt attestantes, quomodo prænominatus Reverendus Dn. JOANNES HERBINIVS Minister Saxon. Ecclesiæ Vilnensis expedivérit Vilnâ in Vkrainam prædictum CORNELIVM ADAMOVVICZ eidemque, prævia fidejussione illorum, Centum florenos Polonicales, pro viatico dederit, ad inquirendum ingenuum JOÁNNEM

NEM FABRICIVM Doctoris PHI-
LIPPI FABRICII filium Kijoviæ, An-
no milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo
octavo, ſub tempus rebellionis Coſacco-
rum derelictum: quem cum memoratus
CORNELIVS ADAMOVVICZ nun-
cius, peragrando Totam Vkrainam, in
Monaſteriis & Cancellariis publicis, nec
non inter milites, ſecundùm Inſtructio-
nem ſibi datam, diligenter inquireret,
& nullibi (quemadmodum literæ teſti-
moniales à Viris Religioſis, per eundem
Cornelium Adamovvicz nuntium alla-
tæ teſtantur) nuſpiam ſupra dictum
JOANNEM FABRICIVM Czerni-
choviæ, Kijoviæ, & ultra Boryſthenem
quæſitum invenit, ut idem ADAMO-
VVICZ redux in Civitatem Vilnenſem
retulit, ſuprà nominati Domini Kusze-
liczovvie Fratres germani de ejusdem
Cornelii Adamovvicz nuncii reducis,
ſtrenuè in indagando eodem deperdito

JO-

JOANNE FABRICIO, navata cura, testimonium suum perhibuerunt, quod Actis præsentibus Consularibus est consignatum, & Parti postulanti videlicet Reverendo Domino Johanni Herbinio, Ecclesiæ Saxonicæ Vilnensis Ministro, authenticè extraditum.

L. S. Ex Actis Judiciariis Nobilium Dominorum Consularium Rescriptum.

V. Datis igitur ego ad Archimandritam Pieczaro Kijovienſem Innocentium Gizielium, nomine amissi Fabricii, literis, insuper, ut me de Naturâ & constitutione Cryptarum Kijovienſium informaret, ab eo enixè petii. Quapropter Vir ille hodie inter Ruthenos Patres incomparabilis, qua est erga exteros humanitate summa, epistolâ suâ elegantissimâ mihi per eundem respondit tabellarium, cujus argumentum (titulum in hac Epistola meæ haud convenientem tenuitati deprecor) sequitur:

Copia

Copia Literarum admodum venerabilis,

INNOCENTII GIZIELI,

Archimandritæ Pieczaro-Kijoviensis ad Johannem Herbinium, Anno Æræ Christ. 1674. Die 2. Martii.

EMINENTISSIME ATQVE EXCELLENTISSIME PASTOR, MIHI PLURIMUM VENERANDE DOMINE ET AMICE.

NOn sentio me dignum esse tali honore, qualem mihi exhibet venerabilis Dominatio tua, dum mihi ea specimina adscribit, quæ meam tenuitatem excedunt. Quia tamen hoc totum humanitas & benevolentia tuæ Dominationis erga me ignotum & immeritum præstat, grato animo à venerabili Dominatione tua suscipio; insuper promptum me ad obsequia in futurum omni oblata occasione exhibenda polliceor. Sed huic promptitudini non respondet nunc ventus: plurimis enim sciscitabar mo-

dis ex multis inquirendo in variis Monasteriis de illius à venerabili Domina-tione tua commemoratæ mœstæ viduæ filio JOANNE FABRICIO; verum nil certi à quoquam de eo percepi, attamen adhuc & in posterum de eo me percontaturum polliceor. Utinam consoletur eam DEUS! Quod attinet de libro, qui vulgo vocatur (α.) SLUZEBNIK, simulq; delineationes Cryptarum, quas præ manibus habeo, nullius pretii egens, dono mitto. De Sanctis autem Cryptis quæ significanda essent, ea omnia sufficienter in libro ΠATEPIKON *typo expressa sunt. In his meatuum magna varietas est, quos si aliquis inscius intret, velut ex Labyrintho solus sine reductore exire non possit. Nec putentur esse hæ Cryptæ naturales, verùm diligenti operâ illorum terrestrium Angelorum, hominum cœlestium, elaboratæ sunt, quorum corpora ab annis circiter sexcentis incorrupta*

rupta durant. Nec beneficio terræ hoc fit, quod à tot annorum centenis Sanctorum corpora incorrupta maneant (cum aliàs plurimorum ibi positorum hominum corpora in pulverem redacta sint) sed verè, (β.) propter sanctitatem vitæ & singularem in DEUM *pietatem, incorruptibilitate donati sunt. De nonnullorum verò siccis capitibus etiam oleum salutiferum ad omnem amovendam hominum infirmitatem manat. Illorum meritis precibusque cæci vident, obsessi à Dæmone liberantur, & miracula in dies majora ac majora fiunt. (γ.) Quousque verò se extendant Cryptæ, incerti sumus; nam ante sexaginta circiter annos propter tremorem terræ in aliquibus locis collapsæ sunt. His breviter expositis intimè precor, ut intercessione eorum (δ.) quibus non dedit nec dabit videre corruptionem, salutem optimam, longævos annos, venerabili Dominationi*

tuæ, & ſacram benedictionem largiatur DEUS. *Utinam mereatur eſſe particeps eorum Scripturæ verborum,* beati qui non viderunt & crediderunt! *Hoc voto claudo meam epiſtolam, meque in ſinum ulterioris amoris & benevolentiæ tuæ venerabilis Dominationis depono. Datum in Monaſterio Kijovo-Pieczarienſi, die Menſis Martii 2. Anno* 1674.

Venerabilis Dominationis Veſtræ
ſincerus amicus & ſervitor
INNOCENTIUS GIZIEL,
Archimandrita Pieczarienſis.

INSCRIPTIO.

Admodum Venerabili & Excellentiſſimo Paſtori Eccleſiæ Saxonicæ,
Domino JOANNI HERBINIO, *plurimùm obſervando amico meo pateant*
Vilnæ

VI. In qua Epiſtola quædam notanda, quædam obſervanda ſunt. *a.* Primùm vox SLU-

SLUZEBNIK significat Missale sive Rituale Græco-Ruthenicum, ex magno illo Εὐχολογίῳ Græcorum, posteaque in Sclavonicam lingvam translato Ruthenorum libro Ecclesiastico TREBNIK. dicto excerptum. Quam vocem SLUZEBNIK nos, suo quidem sed minus Latino nomine AGENDAM Ecclesiasticam hodie nuncupamus. Quam AGENDAM Sclavono-Ruthenicam Perquàm Venerabilis Kijovienſium toties jam celebratus Archimandrita, una cum binis Cryptarum Kijovienſium schematibus, mihi dono misit, quæ etiam omnia publici juris nunc facio.

VII. β. Observo in Epistola hac Ruthenorum de incorruptibilitate corporum emortuorum in Cryptis Kijovienſibus sententiam: videlicet, Patrum istorum corpora, ob sanctitatem vitæ anteactæ, & ob singularem in DEUM pietatem incorruptibilitate donata esse. Quæ sententia sano sensu intellecta haud usque adeo est absurda. DEUS enim Sanctus ac benedictus, inque operibus suis admirandus inter filios hominum, etiam

in ſumma Evangelii gloriæque ſuæ luce edere miracula nondum ejuravit, Pſalm. 66. v. 5. Quæ miracula inter fideles ſuos DEUS patrat tum clam, tum palam. 1. *Clam* quidem, quoad vivimus, actus Providentiæ ſuæ admirandæ inter nos edit, quod Pſalmus nunc allegatus, nec non Pſal. 46. v. 9. graviter docent. Sed hoc fit nobis id non obſervantibus, Pſal. 73. & Pſal. 139. v. 17. &c. 2. *Palam* autem DEUS ſtupenda edit facinora. In articulo Mortis fidelium ſervorum ſuorum. Etenim, qui cuſtodit Sanctorum ſuorum oſſa, ut ne ullum ipſorum conteratur, Pſal. 34. v. 21. idem etiam ea, ubi & quando vult, edere miracula jubere poteſt, quod ipſum Protomartyr N. T. S. STEPHANUS, JESUM Θεάνθρωπον à dextris DEI videns, dulciſſimo afflictæ animæ ſuæ ſolatio, expertus eſt, Actor. 7.

VIII. Deinde & hoc obſervandum probè eſt, quod piis Chriſti ſervis morituris concentus harmonici ſeu Muſica quædam, cujus harmoniæ dulcedo ineffabilis eſt, aliquando audiatur, non ab agonizantibus duntaxat, ſed ab aliis quoque

piis adſtantibus, atque id ipſum ultro atteſtantibus. Quod non ſuperſtitione, ſed revera fieri, neque eſſe habendum ſusque deque, D. Auguſtinus fratres ſuos monet. Præter Auguſtinum Nicephorus lib.8. Hiſtor. Eccleſ. cap. 41. de Amouno quodam Ægyptio refert, Antonium animam ejus è corpore migrantem deduci in cœlum, Angelicis virtutibus eam comitantibus, atque ineffabili quodam hymnorum carmine proſequentibus, vidiſſe. Quod ſi Nicephorus (in rebus multis ingenium ejus ita eſt) fabuloſus hîc videtur, audiamus igitur alios: & quidem 1. *Gaufridum* Monachum Clarevallenſem, in Vita Divi Bernhardi, lib.11.cap.3. in fine, qui de Sancto hocce Abbate refert: quod, cum pauper quidam, & verè pauper ſpiritu, mortuus fuiſſet, ipſe animam deferri audiverit. 2. Quin & in tranſitu Aldefonſi Catholici Aſturiorum Regis, qui Anno Salutis 790. imperavit, voces pſallentium in aëre, feruntur, fuiſſe auditæ: *Ecce, quomodo tollitur juſtus, & nemo conſiderat*, teſte Roderico Toletano lib. de rebus Hiſpaniæ cap. 5. Tom.2. Corporis Scriptorum rerum Hiſpan. pag.72.

3. EUROSIA Bohemiæ Regis filia Aragoniæ Regi per nuncios desponsata, cum in Maurorum Principis manus venisset, atque ab eo, conjugio ipsi copulari renuens, ad mortem damnata esset, ferientis gladium patienter expectans, hanc Angelicam vocem audivit: *Veni electa mea Sponsa* CHRISTI, *accipe coronam, quam tibi* DOMINUS *præparavit*, ut memorat Lucius Marinæus Siculus, lib. 5. de rebus Hispaniæ Tom. I. Corporis Scriptorum Hispan. pag. 343.

4. Item, in obitu cujusdam Episcopi Compostellani, viri eximiæ sanctitatis, auditæ sunt voces Angelorum canentium: *Veni, electe* DEI, *intra in gaudium* DOMINI *tui*. Johannes Visæus Brugensis in Chronico rerum Hispanicarum ad Annum 920. Eodem Tomo I. pag. 715.

5. Gregorius Magnus Homil. 15. in Evangelia de servulo quodam paralytico commemorat, Qui, cum se jam morti proximum cognovit, peregrinos viros atque in hospitalitate susceptos admonebat, surgerent illi secumque Psalmos pro expectatione exitus sui decantarent. Cũque

que ille cum eis moriens psalleret, voces psallentium repente compescuit, cum terrore maligni clamoris, dicens: *Tacete. Nunquid non auditis, quantæ resonent laudes in cœlo?* Cumque ad easdem laudes, quas intus audierat, aurem cordis intenderet, sancta illa anima à carne soluta est. Sed exeunte illâ, tanta illic fragrantia odoris aspersa est, ut omnes illi, qui aderant, inæstimabili svavitate replerentur: ita ut per hoc patenter agnoscerent, quod eam laudes, quas audierat, in cœlum suscepissent. Idem repetit, lib. IV. Dialog. cap. 14. Porrò & Homilia 40. in Evangel. de ROMULA: Nocte, *inquit*, quartâ magistram suam vocavit. Qua veniente viaticum petiit, & accepit. Et ecce subitò in platea, ante ejusdem cellulæ ostium, duo chori psallentium adstiterunt, &, sicut ipsæ se dicebant sexus ex vocibus discreviſſe, psalmodiæ cantus dicebant viri, & fœminæ respondebant. Cumque ante fores cellulæ exhiberentur cœlestes exequiæ, sancta illa anima carne soluta est. Quâ ad cœlum ductâ, quanto chori psallentium altiùs ascendebant, tanto cœpit

psalmodia leniùs audiri, quousque & ejusdem psalmodiæ sonitus, & svavitas elongata finiretur: Repetit idem, ceu veram facti historiam, lib. IV. Dialog. cap. 15.

6. Circa Martini quoque Episcopi mortem Angelicos cantus fuisse auditos memoriæ prodidit M. Marulus Spalatensis, lib. 6. Exemplor. cap. 16. Sed cujus autoritate fretus, me fugit. Etenim Severus Sulpitius, Paulinus, Venantius Fortunatus, Gregorius Turonensis aliique, tale quid de Martino non statuunt. Sed nec illud occurrit apud alios probatos Scriptores, quod idem auctor, de Paphnutio, Benedicto, Stephano, Ægidio, Maximo, Marcellino aliisque pag. 1436. tradit, quasi in obitu simile quid contigisset.

7. Quarè nec absurdum erit, quod in Patria mea Bicinæ Silesiorum (præfiscinè id recenseo) annis abhinc 46. accidit. Ubi, cum Reverendus olim, doctrinæque & singularis pietatis nomine celebratissimus Dn. Christophorus Süssenbach/ Pastor Ecclesiæ ac Ministerii in Districtu Bicinensi Senior, avus meus maternus, diem supremum obiturus, manè horâ

horâ ſexta in templo Pſalmum ſecundum, pro more Eccleſiæ, de æterna Filii DEI generatione explicaſſet paucis : converſus ad populum, hoc ipſo die mortem ſibi obeundam, prædixit, factaque ad conſtantiam in Fide JESU CHRISTI, mutuam charitatem, & ad pietatem adhortatione, ſingulis Eccleſiæ membris, Miniſterio, Magiſtratu & plebe valere juſſis, domum ſuam, multorum lachrymis comitibus, quo vaderet, ne ſeſe orphanos Pater, pupillos Patronus deſereret, inclamantibus, abiit; moxque, viribus ipſi ſenſim deficientibus, decumbere ex valetudine, ſeque, uti ajebat, in occurſum DOMINI accingere cœpit. Cujus rei famâ excitati Magiſtratus oppidanus & aliquot Eccleſiarum vicinarum Paſtores Seniorem ſuum adeunt, ſalutant, ecquid valeret, rogant. Ille verò de valetudine nihil ſolicitus, eandem ad illos quam paulò in Templo, inſtituit παραίνεσιν. Interea, cum datâ ſingulis manu valediceret, concentus harmoniæ ſvaviſſimæ toto quadrantis horæ ſpatio, per oppidum reſonans audiebatur, incertum quo loco, aliis in turri, quibusdam in Curia,

ria, nonnullis Chorum illum Musicum in mœnibus canere arbitrantibus. Aderat fortè ibi Organœdus Ecclesiæ oppidanæ, qui dulcedine illius harmoniæ captus, referre eam in numeros Musicos, atque consignare in exemplum Musices cœlestis tentabat; sed conatu semper irrito. Quo facto Pastor nondum agonizans uxore sua Eva, nomine Hebræo (hujus lingvæ erat peritissimus) CHAVA, CHAVA accersitâ: Vidisne, nunc inquit, *CHAVA mea, pietatem esse ad omnia utilem, & habere hujus & cœlestis vitæ promissionem. Audin, quid canat Musica cœli! Et tibi eâdem suavitate canet cœlum, si permanseris in fide & amore* FILII DEI. Quibus dictis ad parietem conversus, nemine advertente, obdormivit placidissimè. Quo tam beati excessûs exemplo, deinde consangvinei ac tutores mei ad pietatis studium me puerum subinde accendebant. Quod ego tum adultior, ceu commentum superstitiosæ plebis, initiò rejiciebam; nunc autem, tot exemplorum in Ecclesiâ CHRISTI confirmatus, hæc esse certissima, credo. Namque Angeli Sancti ministerio fideli-

delium cœlitùs deputati, cum deportant n sinum Abrahami animas nostras, numquid muti hoc faciunt?

IX. Sed liberos quoque nostros sæpius, adultiores verò aliquando etiam videre in agone suo quasdam Angelorum apparitiones, variâ quidem specie & imagine, frequens admodum, & ferè passim nter Christianos decantata docet experientia. Adeoque non agonizantium esse delirium, sed ipsam rei veritatem: hoc ipsum enim adducta nunc S. STEPHANI ProtoMartyris visio, nec non Angelorum Lazaro morienti & jam emortuo ministrantium exemplum, Luc. 16. evincunt gravissimè.

X. Quin & post ipsam mortem, in religiosorum CHRISTI servorum corporibus atque ossibus, haud leviora DEUM edere miracula, mirifica Elisæi ossa docent, 2. Reg. 13. Quo Sanctorum honore posthumo DEUS, & pretiosam sibi esse ipsorum mortem, Psalm. 116. declarat, & ad ipsorum fidei vitæque sanctitatem nos hacce tam gravi religione invitat.

XI. Si collapsis terræ motu quibusdam mea-

meatibus, longitudo Cryptarum Kijovienſium incerta Archimandritæ aliisque Ruthenis rerum ſuarum peritiſſimis eſt; unde ergo Frœlichio & Floro Polonico, eos ſeſe Smolenſcium usque, ad octoginta milliaria Ruthenica, extendere conſtabit? Certè, præterquam vulgi ſuperſtitioſi traditione, alio nullo niti poſſunt argumento.

XII. Notanda verò Archimandritæ ſunt verba voti alias benevolentiſſimi: *intimè*, inquit, *precor, ut interceſſione eorum, quibus non dedit, nec dabit videre corruptionem*, &c. Quod ego quidem Viri optimi votum animo accipio gratiſſimo; cœterùm, quia, ut cum Poëta loquar,

Diverſum ſentire duos de rebus iisdem
Incolumi licuit ſemper amicitiâ,

pace magni illius Patris, quæro haud immerito: 1. *An ſanctorum Patrum & Heroum Kijovienſium corpora nondum viderint corruptionem?* Ad quod Problema diſtinctè reſpondeo, corruptionem trifariam accipi: eſt enim inchoativa, continuativa, vel conſummativa. *Inchoatam* eſſe, mox ab ipſo mortis eorum articulo; corporum

porum illorum corruptionem, eo quod humidum & calidum nativum seu (cum Physicis loquor) radicale jam evanuerit, certissimum est. De *continuante* corruptione nullum est dubium: quia, uti Florus Polonicus ait, corpora illa compressa quodammodo, & quasi assa sunt: scilicet quia exta viscera in corporibus illis sensim attenuata sunt: namque corpora illa non eviscerata, sed in Cryptis, & quidem in sua quodque cella, esse reposita ex παρεχῶ palam est. Adeoque corpora illa attenuari in dies sensim ac insensibiliter existimo. Quod verò corruptio corporum illorum consummata à tot seculis nondum sit, miramur omnes & obstupescimus.

XIII. Alterum est: *An corpora Patrum Kijovienſium emortua non visura sint corruptionem?* Venerabilis Archimandrita phrasi Scripturæ S. ita, *Deus, inquit, nō dedit, NEC DABIT illis videre corruptionem;* adeoque, corpora illa in Cryptis suis nunquam corruptum iri, sentit. Sed hoc statuere aut credere in sensu Theologico religio nobis piaculumque est: soli enim homi-

homini ΘΕΑΝΘΡΩΠΩ CHRISTO Jesu istud datum est privilegium, ut ne corpus ejus in sepulchro ullam videret corruptionem, quocunque illa nomine veniat, nec inchoativam, nec continuativam, neque consummativam. Quemadmodum enim corpus ejus sanctissimum labe Peccati Originalis nulla inquinatum est ratione: ita etiam à Lege corruptionis speciali DEI privilegio exemptum est, qua de re ipsemet in persona Davidis, Psalm. 16. v. 8. exultabundus gloriatur. Quod igitur simpliciter soli & unico CHRISTO attributum à DEO est, arrogare sibi nullus Sanctorum præsumat: cum etiam sanctissimorum Patriarcharum, Regum, Prophetarum, & Apostolorum corpora post mortem dissoluta tandem corruptaque sint. Quin & communi mortalium conditione exempti, viviqué à DEO in cœlum rapti Henoch & Elias, certo modo communem senserunt & corporum suorum corruptionem sive immutationem. Ergo eandē corruptionem corpora quoque Patrum Crypto-Kijovienſium tandem experientur.

CA-

CAPUT VII.

DE RATIONE SEU MODO FODIENDI CRYPTAS.

SUMMARIUM.

1. *Cryptæ Kijovienſes Roxolanorum ſtudio & labore excavatæ.*
2. *Non Itali foderunt eas.*
3. *Cryptas Metallo ſubductas eſſe, falſum.*
4. *Cryptam ſub terra ad centum milliaria Germanica ducere eſt Iſthmum perfodere.*

I.

CONtemplatus es, Lector, Cryptas Kijovienſes: quid, quæſo, tibi eſſe videntur? Profectò, ſi meatus iſtos variè contortos Labyrinthum aliquem, vel Creticum Dædali antrum dixeris, rem veram dixeris. Quod ſi autem Plinius

nius Creticum, Ægyptium, Lemnium & Italicum Labyrinthos inter Orbis recenſet miracula; quantò magis ſacras Kijovienſium Cryptas Labyrinthum dixeris, aut ſtupendum Ruſſiæ miraculum.

II. Cum igitur, teſte celeberrimo Roxolanorum Archimandrita, Kijovienſes, & conſequenter omnes reliquæ Ruthenorum Cryptæ non naturales, ſed arte & labore religioſorum Patrum ad miraculum ſub terra ductæ ſint; quapropter excavandi eas rationem expendere, operæ erit pretium haud contemnendum.

III. Effodi autem Cryptas ſub terra docet Archimandrita noſter; ſed rationem fodiendi Neſtor in Πατερικῷ ſchemate ſequenti oſtendit, quod exinde excerptum apponere hîc viſum eſt. Ra-

RATIO SEU MODUS FODIENDI CRYPTAS, FIGURA B. NB.

III. Ex quo schemate palam est 1. Non Italos artifices, uti David. Froelichius in suo Viatorio, & Florus Polonicus Auctoris Indifferentis Germanicè nuper editus existimant, sed Viros religiosos seu Monachos Græco Ruthenos effodisse Cryptas Kijovienses. Quod si cæmentarii, lapicidæ, aut statuarii, in fornicibus aut peristyliis erigendis, aliquid operæ Templis aut Cryptis addiderunt, nihil quicquam inficior, sed hoc non est, Cryptas elaborare. 2. Falsum est, quod Cryptæ istæ in 80. milliarium amplitudine metallo vario

ſubductæ ſint. Utiquè obſtupeſcit animus, hæc tam portentoſa de Cryptis Kijovienſibus, autore incerto, referri. Sed fama creſcit eundo, cui qui facilè credit, facilè decipitur, &, quod non injuria fit, à Ruthenis naris emunctioris deridendus toti Orbi propinatur. Quis enim tantum hoc iter ſub terra emenſus unquam eſt? Qua ratione terra in cavandis tanta lõgitudine Cryptis egeſta eſt? Tentabant olim tot Principes, Imperatoresquè Romani Cæſar, Caligula, & Nero (Svetonius in ſuis locis) Iſthmum inter mare Erythræum (vulgò *Rubrum*) & Nilum perfodere, ſed conatu irrito. Ruthenos autem Kijoviâ Smolenſcium vel Pieczaram usquè Moſcoviæ oppidum, longe amplius centum milliaribus longitudine Cryptas effo-

effodisse, tonsores quidem aut lippi referunt, sed Rutheni hoc nesciunt, certè vix fungi credent.

CAPUT VIII.

De USU CRYPTARUM.

SUMMARIUM.

1. *Antra V. & N. T. sanctorum receptacula tutissima.*
2. *Cryptæ subterraneæ religiosa Monachorum cubicula.*
3. *Cryptæ Kijovienses Divorum emortuorum Mausolea.*
4. *Miraculum in Crypta Paschale.*
5. *Visitationes & honores defunctis habiti.*

I.

UT nihil in Natura rerum vacuum est, nec ulla sine certo fine aut scopo suscipitur actio: ita Cryptæ & antra subterranea usus egregios, & optata ejusdem cultoribus præbent semper commo-

da. Latebant olim in antro *Prophetæ* Israelis, cum tempestas persecutionum in eos immeritò sæviret; Hinc *spelunca Davidica* ADULLAM 1. Sam. 22. *Cryptæ Prophetica*, Eliæ sub monte DEI Horeb, 1. Reg. 18. Virorum Propheticorum centum, quos Abdias Magister aulæ Regis Achabi in illis pane & aqua pascebat, atquè à Tyrannide Jezabelis protegebat, 1. Reg. 18. *Antrum Regium*, in quod Reges Cananæi sese metu Josuæ receperant, Joh. 10. *Crypta Apostolica* & Martyrum in montibus & sylvis, Hebr. 11. Antra *Musarum* in Græcia, in quibus Viri Docti otii ac meditationis gratia quandoquè habitabant: *Antra Sibyllina*, de quibus Lactantius, & Geographi veteres & recentiores agunt prolixius.

II. Similiter Crypteæ quoq; Jovi-

jovienſes certas easquè graves ob cauſas à Monachis Græco-Ruthenis effoſſæ ſunt. I. Ut converſis ad Chriſtum Clero & Laicis, ſæviente in ſe Tyrannorum Ethnicorum tempeſtate, aliquod ibidem eſſet receptaculum. Qùò quidem ſe auctores earum Patroniquè Antonius, Theodoſius & alii plures frequenter recipiebant, tutoquè ibidem, etiam ab hoſtibus Tartaris, qui loca illa ſacra violare non audebant, diu incolumes agebant.

III. Ut Monachi privatæ religioni vocare ibidem commodè poſſent. Quidam enim ibidem in cellis Pſalmos aliasqué preces peragebant. Alii, corpora ſua jejuniis atquè vigiliis maceraturi, ultrò ſe antris iſtis includebant, pane modico & oleribus victitantes, ut *Nicetas, Laurentius, Nikon, Euſtatius, Pi-*

minus & alii, in quibus antris eâ nonnulli permanebant constantiâ, ut nec Jhumenorum (Abbates ita Græcorum imitatione, quasi τῶν ἡγουμένων vocant) autoritate & mandato, nec horrendis satanæ spectris atquè tentationibus extrahi inde in lucem possent, quales *Isaacus* & alii Monachi erant. Adeò primitus Christiani pietate abundabant atquè religione, quæ tam pia exempla miramur quidem omnes, sed imitamur paucissimi. Utinam, loco antrorum subterraneorum, supra domorum nostrarum terraneis inclusi cellis, Musæis, aut cubiculis, DEUM eo animi devoti ardore coleremus! Sed hodie nobis veterum pietas ac religio obsolescit, nostra autem juniorum aut jejuna nimis est, aut omninò nulla.

IV.

IV. 3. Tandem & hoc animo religiosi illi Patres Rutheni propria effodiebant in Cryptis antra, ut vivis cellæ aut sacella, mortuis verò certa essent Mausolea & dormitoria. Etenim ex Lege & consvetudine veteri sua quisque Cryptâ, atquè cellâ fasciis instar infantium, &, imitatione Ægyptiorum cadaverum, circumvoluti post fata reponebantur. Quorum solemnes exequias, atquè defunctorum corporum ornamenta, nec non Monachorum nænias & lachrymas subjecta schemata palam spectanda proponunt. In quibus inter alia exequiæ THEODOSII Jhumenis seu Abbatis, Cryptæ minoris Kijovienſis auctoris, facibus accensis, ac frequenti tum Clero, tum populo, solenniter instituuntur. Ubi in sandapila defuncti

Theodosii corpus fasciis, adinstar infantis, circumvolutum, palamquè spectandum à Monachis sui Ordinis in Cryptam solenniter deportatur. Qua ratione etiam reliqui Monachi, quos Rutheni INOK, quasi unicos, nec non CZERNIEC, hoc est nigros ab habitu Monachorum atro vocitant, terræ mandantur.

RATIO SEPELIENDI DEFUNCTOS IN CRYPTA.

FIGURA A.

V. Sanctiori ergò fine antra in Oriente habentur, quàm quidem nonnullæ alibi specus: Exempli gratia Antrum illud Trolhettanum in Norwegia sub ipsa hians Cataracta, furum & latronum re-

EXEQUIÆ SACRÆ





receptaculum olim & hodienum eſt, quod ego meo ipſius periculo comperi.

VI. Solet autem Presbyter Kijovienſis Feria prima Paſchatos, ſacris antelucanis peractis, cum aliquot fratribus in Cryptam deſcendere, defunctorum Patrum corpora inviſere, eaque ſacro thure ſuffumigando preculas aliquot ex more recitare. Quo facto mortuos alloquitur exultabundus hiſce verbis: *Sancti Patres & Fratres, hodie CHRISTVS facto Mortis jaculo à Mortuis reſurrexit!* Cui comites fratres reſpondent: *Verè ſurrexit CHRISTVS DOMINVS.* Quibus dictis, corpora denuò infumantes, abeunt. Res ſanè mira in Crypta illa, imperante Roxolanis Simeone Alexandrowicz ſub Archimandrita Kijovienſi *Nicolao*

colao, accidit. Cum enim Presbyter quidam Dionysius in Crypta sacris supra memoratis suffiendo operaretur & tandem pro more mortuos hisce verbis: *SANCTI PATRES & FRATRES, hodie CHRISTVS*, facto *Mortis jaculo, resurrexit à Mortuis*, inclamaret; Continuo Crypta illa, quasi terræ motu concussa, vociferans Presbytero respondit: *Verè CHRISTVS DOMINVS resurrexit, ô Pater Dionysi*: Nestor in Πατερικῷ cap. ult. Vide autem Visitationis hujus schema sequens:

VISITATIO PASCHALIS CORPORUM IN CRYPTIS.
FIGURA C.

VII. Hujus visitationis vestigia



gia invenio Hierosolymis Marc. 16. ubi Maria Magdalena, cum reliquis mulieribus fidelibus posthumum unctionis officium corpori CHRISTI Dominiquè sui præstitura, sepulchrum, die à morte ejus tertio, summo manè invisebant. Idem olim Hebrone factitatum procul omni dubio. Quin imo Matth. 23. Judæos sepulchra Prophetarum magno honore exornasse, Domino ne quicquam id improbante, legimus. Missis aliarum gentium, ut & Ecclesiæ primitivæ exemplis, unicum, quod Hafniæ in Dania summa cum voluptate spectavi, adjiciam. Receptum ibi more atquè consvetudine veteri est, ut superstites liberi, sepulchra Parentum aut cognatorum, singulis diebus solis, horis matutinis, aut ipsimet visitent

tent lachrimabundi, aut missō servo vel ancilla sepulchrorum tumbas ac inscripta Epitaphia rosis, liliis, ruta, verbena, aliisque elegantissimis floribus conspergi atquè exornari jubeant, memoriam suorum etiam post fata honorabilem sibi atquè gratissimam hoc testantes pietatis officio. Id honoris Beati quoquè Patris nostri Lutheri manibus Wittebergæ in templo arcis habetur adhuc, sed maximè Magdeburgi in cœnobio Augustinianorum, quò ut supra dictum est, cellam atquè ligneum Lutheri lectum videndi studio, multi tam illustrium, quam è plebe promiscua concurrunt; nec vidisse locum tam religiosi quondam Monachi contenti, etiam in lecto ejus recumbunt; alii quoquè assulas è lecto cultellis abscis-

ſciſſas, in memoriæ gratiam & oſtentationem ſecum aſportant. Quapropter lectus ille adeo conſciſſus & diſtractus eſt, ut vix jam ſuis conſiſtere baſibus queat. Sunt tamen, qui memores beneficii divini, DEO pro accenſa per incomparabilem ſervum ſuum Lutherum in ipſis Antichriſti tenebris Evangelii luce devotas, in genua procumbentes, agunt gratias. Et hi ſanè ſanctorum tumbas viſitant omnium ſanctiſſimè. Sed pergamus.

CAPUT IX.

De SPECIEBUS CRYPTARUM RUTHENICARUM.

SUMMARIUM.

1. *De Crypta Pieczoro Moſcovitica non conſtat.* 2. *Mo-*

2. *Moscovitarum barbaries.*
3. *Cryptæ Borysthenidæ Kijovienſium nobiliſſimæ.*
4. *Crypta* ANTONIA *præſtat* THEODOSIÆ.

I.

NEſtor, in ſæpius adducto libro Sclavonico Πατερικὸν dicto, obiter duntaxat aliarum quoque Cryptarum facit mentionem. Et, quantum conjicere licet, prima Crypta Ruſſiæ in oppido Bereſta ab Hilarione Viro religioſo effoſſa, quam poſtea aliquanto tempore Theodoſius in ætatis Monaſticæ tirocinio incolebat.

II. Altera Crypta eſt Baraſenſis (vulgò *Pieczara Barareska*) quam Antoni primum fuiſſe antrum Neſtor tradit.

III. Tertia ad Urbem Czerniechoviam oſtenditur, quæ ab Antonio adoleſcentiore, itidem effos-

effossa est. Hanc ad Kijovienses usque Cryptas sese subterraneis porrigere meatibus imperita affirmat plebecula.

IV. Quartam celebriorem oppidum Moscoviæ PIECZORA, à Crypta quam continet, sic dictum, inquè ipsis Livoniæ finibus situm; ostentat. Cujus Cryptæ videndæ studio ardens cum anno superiore iter faciens in idem oppidum *Pieczora* divertissem, Monasteriumquè loci illius sanè munitissimum, atquè templum Divæ Mariæ Sacrum, ingredi cum turba frequente vellem, à custodibus Portæ non sine probrosis convitiis rejectus sum. Ea enim Moscovitæ sunt barbarie, ut nullaexteris humanitatis officia præstent, unde nullum in Moscovia ut rarissimum est Xenodochi-

um; imò Christianos Occidentales, tàm Pontificios quàm Evangelicos, impuros ac degeneres, se verò solos genuinos & Orthodoxæ Ecclesiæ pullos esse reputant: Unde plebs illorum *Pràvvostavvny*, sacerdotes autem & sacrificuli *Prepodobni*, *Bohonosni*, id est, Reverendi & Deiferi vulgò audiunt. Hinc de ea nihil quicquam certi tradere Lectori possum.

V. Nobilissima omnium, uti Metropolis Russiæ Kijovia, ita singulariter Crypta duplex Kijovienſis ad ripam Borysthenis, sub monte edito est, in quo Monasterium templaquè aliquot celeberrima spectantur eleganter. Sub monte autem Cryptæ visuntur duæ, altera *Antonii*, altera *Theodosii*, qui ambo, ut su-

prà

prà dictum est, Cryptarum istarum Auctores olim, nunc Patroni earundem à Ruthenis salutantur. Prima quidem ANTONIA, cujus paginam & inscriptionem litera geminata A ✠ A. Altera est THEODOSIA, cujus paginam & inscriptionem Θ ✠ Θ signant. Quæ duæ Cryptæ tamen impares sunt, & altera ambitu sinuum, cellarum, inquè eis repositorum Patrum Kijovienſium copiâ superat alteram. Etenim Crypta Antonia I. Amplior longe est THEODOSIA. II. Pluribus magisquè sinuosis flexibus, quas Rutheni plateas vocant, nec non cellis distinctior; imò Crypta ANTONIA Labyrinthus est perplexissima, adeoquè Kijovienſe Russorum miraculum: quippe ingressus eam homo meatuum ignarus, teste

Archimandrita ibidem celeberrimo, ſine ductore exire nequit. III. Crypta ANTONIA plurima Divorum Ruthenorum corpora poſſidet, cum in THEODOSIA pauciora quieſcant. IV. Crypta Antonia illuſtriores dignitate ac meritis Viros oſtentat, nempè Metropolitas, Epiſcopos, Principes, & alios commatis eminentioris, cum Theodoſia tantorum Patrum atque Heroum Principum ſterilis admodum ſit. V. Crypta tamen Theodoſia, pluribus ſub terra faberrimè conſtructis Sacellis, quàm quidem Antonia, gaudet. Repete quæſo, Lector, & confer inter ſe utriusquè Cryptæ ideam ſuprà delineatam. Et quia nobis adire eas per loci longum admodum intervallum atque diſtantiam non licet,

hîc

hic eas contemplare, ac Roxolanorum hominum ingenium atquè devotam religioni industriam mirare.

CAPUT X.

DE CORPORIBUS IN CRYPTIS KIJOVIENSIBUS REPOSITIS.

SUMMARIUM.

1. *Catalogus Patrum & Heroum in Cryptis dormientium.*
2. *Religio privata subterranea.*
3. *Πρόσφορον panis Graco Ruthenorum Eucharisticus.*
4. *Non omnes in Cryptis dormientes Catalogus recenset.*

I.

CORpora illa in utraquè Crypta tùm integra fatoquè Mortalibus communi nondum corrupta, tùm corrupta atquè in terram matrem redacta sunt; nonnullorum tamen σκέλετα & crania oleo hodienum scatent. Cum autem nomina defunctorum, non omnium quidem, sed tantùm præcipuorum Patrum atquè Heroum ipsa Cryptarum schemata indicent; quapropter hic loci ea duntaxat recensebo nomina, quæ Ruthenorum Historicus Chronologus Nestor in Πατερικῷ ordine suo indicat. Tu Lector benevole, singulorum corpora atq; tumbas sive cellas, in quibus repositi jacent, in suis Cryptis inquirito. Suntquè

CA-

CATALOGUS PATRUM PRÆCIPUORUM IN CRYPTIS KIJOVIENSIBUS DORMIENTIUM.

I. ANTONIUS, Cryptæ Majoris Antoniæ fundator, primusque Monachorum Græco-Ruthenorum auctor.
II. THEODOSIUS, Cryptæ Minoris Theodosiæ fundator.
III. STEPHANUS, Ihumen seu Abbas.
IV. NIKON, Ihumen seu abbas.
V. BARLAAM, Ihumen seu Abbas.
VI. EPHREM, Eunuchus.
VII. ESAIAS, Thaumaturgus Episcopus.
VIII. DAMIANUS, Presbyter.
IX. JEREMIAS, Monachus annosus admodum.
X. MATHÆUS, perspicax spectrorum observator.
XI. JSAAC, tentatus à Satana.
XII. NICETAS, clausus in Crypta, post-

hac Episcopus Novogrodiensis creatus.

XIII. LAURENTIUS, Clausus.

XIV. ALYMPIUS, Pictor miraculosus.

XV. AGAPETUS, Medicus miraculosus.

XVI. GREGORIUS, Thaumaturgus.

XVII. MOSES, Ungarus strenuus castitatis vindex.

XIIX. JOHANNES, afflictus.

XIX. MARCUS, fossor Cryptarum.

XX. THEOPHILUS, religiosus.

XXI. PROCHORUS, Thaumaturgus.

XXII. THEODORUS, tentatus.

XXIII. BASILIUS, familiaris Theodori.

XXIV. PIMINUS, Jhumen seu abbas.

XXV. SPIRIDON, Pistor Prosphororum

XXVI. NICODEMUS, Pistor.

XXVII. EUSTRATIUS, Jejuniis & martyriis clarus.

XXVIII. NIKON, Monachus captivus.

XXIX. KUKSZA, Martyr.

XXX. PIMINUS, Jejuniis clarus.

XXXI. ATHANASIUS, Monachus in Crypta clausus.

XXXII. NICOLAUS SWIATOSZ, Dux Czerniechovienſis.

XXXIII.

XXXIII. ERASMUS, Monachus negligens, sed postea frugi.
XXXIV. ARETAS, Monachus avarus, postea pœnitens.
XXXV. EVAGRIUS, Diaconus } Fratres
XXXVI. TITUS, Presbyter } odiosi.
XXXVII. NIFONE, Episcopus Novogrodensis.
XXXIIX. ONESIPHORUS, Monachus.
XXXIX. POLYCARPUS, Archimandrita Kijovienſis.
XXXX. NICOLAUS,
XXXXI. DIONYSIUS, Presbyter.
XXXXII. NESTOR Chronologus Ruthenus.
XLIII. SIMON, Episcopus Wlodimirienſis & Susdalienſis.
XLIV. CAPITA, miraculosè oleifera.

II. In hoc Patrum Kijovio Cryptanorum catalogo occurrunt quædam Lectori haut satis obvia, quæ paucissimis explicata dabo. 1. Vox Jhumen, quæ est vox origine Græca, quasi dicas ἡγούμενος,

id est, Dux, Princeps, Primas, Ruthenis autem Ihumen significat idem quod Latinis Regularibus Pater Prior, Abbas, Primas, Præfectus seu Præpositus Monasterio: Poloni eum vocant Dciec Starßy. Germanis ein Probst. Sunt autem in Catalogo *Stephanus, Barlaam Nikon, Piminus.*

III. 2. Vox Clausus. Clausi dicuntur Monachi Græco Ruteni, qui, nuncupato voto, sese cellæ aut cubiculo subterraneo in Crypta, religionis privatæ gratiâ, ita aggestâ untiquaquè terra incluſere, ut vix foramen, submiſtrandis cibo, potui aliisquè neceſſariis pateat. In qua cella Cryptana religioſi Viri Pſalmis recitandis, precibusquè ad DEUM fundendis occupabantur: item jejuniis, vigiliis, aliisquè negotiis ipſo-

ipsorum conditioni convenientibus corpora sua tum expiandorum peccatorum gratia, tum propter opus Meriti (quem errorem, cum Pontificiis communem habent) emacerabant. Suntquè in Catalogo recensito, *Laurentius*, *Athanasius*, & alii. Qui claustrales Ruthenorum Monachi post obitum in eadem, quam vivi habitaverant, cellâ Cryptana, mortui reponuntur.

IV. Vox tertia τὸ ΠΡΟΣΦΟΡΟΝ, vox Origine Græca, à προς & φέρω derivata; & significat panem sacrum. Dicitur etiam vulgo in genere fœminino PROSPHORA, RÆ, cum quo hic nobis loqui placet. Adeoquè Prosphoræ Græco Ruthenorum sunt panes sacri minuti, quibo sacerdotes in administratione Cœnæ Dominicæ

nicæ utuntur, eumquè tunc panem ſacramentalem vocant. Hujus Proſphoræ figuram quantitatemquè ab ipſis Græco Ruthenis religioſis acceptam tecum, Lector Benevole, communico:



Cujus Proſphoræ inſcriptio in ſuperiore Crucis facie IΣ. XΣ. legitur

tur JESUS CHRISTUS: in inferiori autem NIKA, Victoris Christi victoriam peccati, mortis & satanæ significat. Quam Prosphoram sive panem in ipso consecrationis sacramentalis actu Presbyter concisam minutim in calicem aureum vino plenum immittit, atquè ita, peracta consecratione, Communicantib9 utramquè speciem, more apud ipsos recepto, cochleari aureo oblongiore, in os ingerit leniter: qua de re consule Euchologion Græcorum.

V. Sed alius insuper est Prosphorarum istarum usus: Nam simul atquè Christianus sacrâ potitus est Eucharistiâ, assumpto præterea panis & aquæ vehiculo, adstans puer paropsidem argenteam vel stanneam sustinens, singulis sacr iepuli convivis (inter quos etiam

iam infantes bimulos non ſine ſtupore obſervavi) unicam inde porrigit Proſphoram, quam illi ſudario involutam ſecum domum aſportant, ut ſit illis accepti S. S. Sacramenti monimentum. Sed hæc & plura alia in Euchologio Græcarum Eccleſiarum, Pariſiis edito legi poſſunt. Hæc enim ego ὡς ἐν παρόδῳ.

VI. Cæterùm nondum omnes in Cryptis dormientes Patres hic recenſiti ſint. Siquidem Nestor & Patres Rutheni plures quidem, imò ſicut olim ſtellæ cœli Abrahamo, ita in Cryptis Kijovienſibus dormire innumerabiles Viros divinos, quorum corpora nequè incorrupta nequè reſoluta & integra adhuc eſſe affirmant. Veruntamen, quemadmodum capitum oleiferorum nomina neſci-

ve-

verunt penitus : ita nec cœterorum in Cryptis dormientium hominum nomina vitæquè eorundem rationem tradere, hactenus potuerunt. Obtendunt causam, quia frequentibus Tartarorum bellis & Bibliothecæ illorum direptæ sunt & periti Cryptarum aut periere omninò, aut fuga alio dilapsi evanuere. Quorum autem monumenta atquè nomina Ruthenis celebrantur adhuc, ea tùm in libro Πατερικὸν auctore Nestore annotata sunt, tùm in Tabula stellata eleganti schemate infrà depicta sunt.

CAPUT XI.

IN QVO PROBLEMA PROPONITUR:

Quænam sit causa incorruptibilitatis corporum ab annis amplius sexcentis in Cryptis Kijovienſibus dormientium?

SUMMARIUM.

1. *Cura sepulturæ mortalibus anxia.*
2. *Objectiones contra sanctitatem Patrum, in Cryptis dormientium integritatem corporum promerentem.*
3. *Grata posterorum Ruthenorum erga Pastores suos memoria.*
4. *Privilegium incorruptionis Patriarchis & omnibus Vet. & N. T. Sanctis negatum, & soli CHRISTO datum est.*
5. *Corpora Magorum trium Coloniæ Agrippinæ.*

Ita

I.

ITa ſemper erat omnium ferè gentium ingenium, ut quoties ultima humanitatis fata animos earũ ſubibant, corruptionis corporum ſuorum conſternati metu, quidam Cryptas ſibi abditosque ſub terra cuniculos fodere, alii opobalſamo aliisque ungventis & aromatibus corpora eâ inficere curâ atque diligentia ſolebant, ut, factâ animæ jacturâ, minimum corpora ita inuncta ſervarentur, ne omnia mortis eſſent omnino. Hinc etiam inter nos Chriſtianos, quibus Oracula DEI mortisque Divinæ Jeſu Chriſti participium omnem diei ſupremæ corruptionisque fatalis eximere metum debebant, quotusquisque ditiorum non Cryptulam cineribus ſuis in Cœmiterio, aut in ipſo DEI ſacra-

rio, maturè dedicat. Hinc etiam Lappones sub Polo Arctico frigentes eo amoris erga suos demortuos calore ardent, ut parentes, conjuges, liberos, aut cognatos suos, etiam post mortem, incorruptos esse velint. Adscribam quæ Magnus hoc seculo Eruditionis in Regiâ & celeberrima Svecorum Academia Upsaliensi vindex & auctor *JOHANNES SCHEFFERVS*, Fautor & amicus meus observandus, in sua Lapponia cap. 27. pag. 315. de Lapponum sepultura stylo tradit purissimo atque elegantissimo. *Capsa*, inquit, *funebris plerumque est ex trunco arboris excavato. Sed, ubi materia formandæ capsæ ipsis deficit, quod fit, cum in nudis montibus Norvagicæ vicinis versantur, defuncti cadaver communi vehiculo sive trahæ suæ, quam appellant*

AKIA

ARIA, *capsæ loco imponunt*, & pag. 316. *Aliqui nudâ terrâ obruunt defunctum una cum traha. Aliqui trahæ cum defuncti cadavere undiquaque muniunt stipitibus arborum subtus, supernè, ac à lateribus, ne facile situm contrahat & corrumpatur, cadaverque laceretur ac devoretur à bestiis feris. Imò ob hanc causam quidam Lapponum defunctorum suorum cadavera in spelunciis reponunt, osque eorum obturant lapidibus.* Idem Auctor celeberrimus, loco citato pag. 314. Gratum omninò Europæ obtigit beneficium, quod summi Svecorum Regis atque Regni Senatoris & Cancellarii MAGNI GABRIELIS DELAGARDE sumptibus atque auspiciis, cura verò celeberrimi hoc seculo in re literaria Auctoris JOANNIS SCHEFFERI, sepulta ot seculis UPSALIA ANTIQVA,

nec non ignorata Lapponum tra-
ha & Rangiferorum ſecreta Orbi
palam facta ſunt. Non prodiiſſet
è deſertis ſuis Lapponia, niſi ma-
gnus Sveciæ Senator id juſſiſſet.
Non legeremus hodie attoniti, in
Lapponia exilii Protoplaſtorum
noſtrorum è Paradiſo, ob crimen
admiſſum læſamq; Creatoris glo-
rioſi atque benedicti majeſtatem
ejectorum veſtigia, niſi ea SCHEF-
FERUS noſter preſſiſſet feliciſſimè
quo nomine, & magno SVECIÆ
COMITI, & Academiæ Upſalien-
ſi tanti Auctoris nutricibus, ſingu-
lares ac ingentes gratias Orbis de-
bet literarius. Sed ad noſtram Ki-
joviam.

II. Corpora Patrum Rutheno-
rum in Cryptis Kijovienſibus
multo jam tempore repoſita, ſin-
gula ſingulis cubilibus collocata
faſciis

faſciisque adinſtar infantū obvoluta dormiunt. Cum facies eorum videas, non σκέλετα vides, ſed facies ſua cute veſtitas, ſuisque ex naturæ ingenio efformatas lineamentis. Quod quidem novum ſub Sole non eſt, cum & in Crpytis Ægyptiorum à multis ſeculis cadavera humana jaceant, cujus ſimile faſciis obvolutum corpus Ægyptium Lugduni Batavorum in camera Anatomiæ, inter alia Orbis Κειμήλια, cum ibi Muſis navaremus operam, cum ſtupore ſpectabamus aliquoties. Hoc tamen eis diſcrimen intercelit, quod Ægyptia corpora balſamo & variis aromatibus imbuta, ideoque hac ratione præmunita à putredine ſint; quod autem Sanctorum ſuorum corporibus fieri Kijovienſes negant, cum ibi nec

balsamum detur ullum, neque aromatum copia.

III. Quod si Kijovienſium Patrum corpora nullo tincta balsamo, aut aromatibus infecta sunt, & tamen tot jam seculis immota, & nec quicquam corrupta aut putrefacta sunt, adeoque si historia rei hujus certa omnibusq; vera est numeris, profectò est, quod plus satis demiremur, & cujus rei videndæ gratiâ Kijoviam, secundo Pripeto ac Boryſthene profecti Cryptas illas adeamus. Etenim ibi, Cryptis sæpe hiantibus, aër quandoque mutatur, atque crebris exterorum atque Monachorum ibidem incluſorum commeationibus, nec non facularum ardentium, aut etiam thuris Sacri in Visitationi Paschali &c. fumigationibus variè afficitur, aut infi-

citur

citur potiùs ; & tamen mortuorum corpora, aëre tam variè affecto, permanent ſemper eadem formâ, atque integerrima.

IV. Sunt qui in Cryptarum illarum ſinuoſis concamerationibus aërem ſpiritu lapidifico affectum exhalare, quo ſpiritu infecta corpora lapidum inſtar pridem obriguiſſe, atque etiamnum ſic concreta permanere putāt. Sed hoc argumentum Ruthēni experientia multifariâ refutant. Dato enim hoc in gratiam diſputantis, non tamen conceſſo omninò, quod corpora Patrum kijovienſium iſto vel alio quodam ſpiritu forti infecta obriguerint; cur autem non omnia ibidem ſepultorum hominum corpora in ſua obriguêre integritate; ſed plurimorum oſſa vetuſtate attrita ſunt,

nonnullorum etiam ossa & corpora, ex lege mortalitatis attenuata, ac postmodum in pulverem soluta, omninò evanuerunt? Meritis ergò Patrum id unicè attribuendum esse volunt.

V. Adducam ex Πατερικῷ Ruthenorum Doctorum apologiam, in qua integritatem atque causam ejusdem, nempe Sanctorum Kijovienſium Merita oppugnantium argumenta refelluntur.

OBJECTIO I.

Præstare id natura potest, ut corpora Patrum mortuorum in Cryptis Kijovienſibus incorrupta longo tempore maneant. Ergò hanc ob rem corpora illa sancta dici nequeunt.

RE-

RESPONSIO RUTHENORUM.

Peripatetici cum suo Stagirita putredinem corporum naturalium ita definiunt: *Putredo est interitus caloris naturalis in humido, causatus à calore externo.* Etenim calidum nativum siccitate, tanquam termino, humidum radicale circumscribit, nec patitur humidum illud diffluere. Deficiente autem calido nativo, humidum quoquè radicale & nativum, termino circumscribente se destitutum, facile diffluit. Quæ dissolutio fit à calore externo, qui sese in humidum radicale corporis emortui insinuavit. Definitionem autem hanc esse veram ipsius Philosophorum principis Aristotelis rationibus probo.

I. Corpora putredini obnoxia, poſt exhalationem caloris naturalis, ob humorem ſolutum atquè diffluentem, molleſcunt. Quo humore ſublato corpus vermibus ſcatet, tandemquè pulvis & terra remanet, *Ariſtoteles* 4. Meteor.

II. Corpora naturalia, dominante calore æſtivo, vel flante Auſtro, facilius corrumpuntur, aceſcunt, aut omninò putreſcunt, quàm quidem hyeme.

III. Corpora frigida, glacies & metalla non putreſcunt: quia calor externus prævalere frigori ipſorum interno nequit, actio autem ſuperans eſt à fortiori, quemadmodum corpora naturâ calida non facilè corrumpuntur, quod ipſum in aromatibus, ſulphure & aliis videre eſt: in his enim corpo-

ribus

ribus calidum internum potentius est externo.

IV. Corpora in motu continuo haud facile putrescunt, quæ verò quiescunt, citò corruptioni sunt obnoxia, quod in aqua continuo fluente, & puteana immota, quæ citius corrumpitur, quam fluitans, observatur: ita etiam reliqua corpora Naturalia paulò crassiora, & quidem carnosa, putredini sunt obnoxia. Atqui nihil horum de corporibus Patrum in Cryptis Kijovienſibus quiescentium affirmari potest.

Quibus fundamenti loco argumentis præmissis, porrò Adversario nostro istud Dilemma Physicum propono: Corpora Patrum Crypto Kijovienſium, aut habent calorem nativum internum, qui est instrumentum vitæ con-

conjunctum; aut non habent. Si habent, tunc non sunt emortua, sed adhuc viventia: vita enim humana ex sententia omnium Philosophorum, in calido & humido naturali radicatur atquè consistit. Si autem, quod quidem certissime est verum, calorem nativum internum non habent. Ergò humidum nativum à calore externo affectum facilè in corporibus ipsorum resolveretur, & putrefactio corporum necessariò sequeretur, adeoquè Paradisiaca illa mortis sententia: *Pulvis es & in pulverem reverteris*. Gen. 3. in corpora Patrum Kijovienſium jam pridem executioni mandata fuisset.

V. Insuper Adversarius Theologorum sententiam colophonis loco probè expendat, qui meritum

tum (cauſam meritoriam) putrefactionis eſſe peccatum communiter ſtatuunt. Quod ſi ita eſt. Ergò corpora Patrum Kijovienſium in Cryptis non naturaliter, ſed ſupranaturaliter, adeoque propter merita ſua tamdiu ſuperſunt integerrima.

OBJECTIO II.

Cryptæ Kijovienſes ſunt locus conſervativus corporum, eadem à putredine prohibens. Hinc non mirum eſt corpora Patrum ibidem recondita non eſſe tanto jam corrupta tempore. Antecedens probatur exemplo Cryptarum Ægyptiarum, in quibus corpora à multis ſeculis non eſſe putrefacta, ſed hactenus incorrupta manere, Boterus fol. 218. Parte 1. lib. 3. tradit.

RE-

RESPONSIO RUTHENORUM.

Negamus Antecedens in Cryptis Kijovienſibus eſſe locum conſervativum corporum. Piſito autem, quòd contrà experientiam ratio nihil quicquam ſtatuere poſſit; attamen Antecedens nihilominus eſſe falſum hoc evinco argumento: Si Cryptæ Kijovienſes locus corporum humanorum conſervativus eſſent, tunc oppoſitum ſeu contrarium, ſcilicet putredinem ſeu corruptionem, præſtare haud poſſent. Atqui jam præſtant. Ergò non ſunt locus corporum humanorum conſervativus. Majoris Propoſitionis conſequens eſt verum: namquè oppoſitorum cauſæ per ſe ſunt oppoſitæ. Minorem experientia

tia oculari, adeoquè ipsis rerum testimoniis, probamus. Sunt in Cryptis Kijovienſibus aliquot ossium ſtrues, hominum eorum, qui ut corpora ſua diu poſt fata cùm aliis ſupereſſent incorrupta, ibidem reponi voluere. Quin & Sanctorum quorundam oſſa duntaxat, corpore jam reſoluto, ſpectantur. Cum itaquè corpus humanum putrefactioni ex conditione naturæ ſit obnoxium, Cryptæquè noſtræ Kijovienſes per ſe & ſua natura illud ſolvant & corrumpant; ea propter deſtructivæ potius corporum, quam conſervativæ dicendæ erunt. Exemplum Cryptarum Ægyptiarum huc nihil facit, cum nec Boterus, eas loca eſſe corporum humanorum conſervativa ſtatuat, ſed ideò incorrupta ibi durant, quod balſamo

ſamo Judaico ac reſinâ cedrinâ infarta, linoquè xylino obvoluta ſint. Præſtat igitur Philoſophum audire, qui hominem etiam ſuprâ ſphæram Lunæ conſtitutum, non quidem à calore externo, qui in ea regione non datur, ſed ex conditione naturæ propriæ mortuum, nihilominus tamen corruptum iri, rationibus aſſerit graviſſimis, *Ariſt. lib. 1. de Cælo, Text. 100.*

OBJECTIO III.

Corpora Patrum Kijovienſium, balſamo, ſucco cedrino perunćta, aut aromatibus variis arte condita ſunt. Ergò ideò non corrumpuntur.

RESPONSIO RUTHENORUM.

Corpora rebus odoriferis perunćta

uncta tantisper odorem ex se emittunt, quoad vis condimentorum in eis viget, quod etiam omnibus rebus odoriferis accidit, quia, virtute pereunte, etiam odor cum corporibus ipsis evanescit. Atqui è corporibus Patrum Kijovienſium nullus omninò odor, nec fœtor exhalat. Ac etiamsi demus, ea aromatis infecta esse aut ungventis; attamen, evanescente successu temporis virtute illa ac odore conservativo, corpora sanctorum nostrorum, nihilominus tandem putrescerent sensim ac evanescerent.

OBJECTIO IV.

Sancti isti, quorum corpora in Cryptis Kijovienſibus incorrupta dormiunt, vixerunt illa Chri-

ſtianorum ſerenitate, cum Orientales Græcorum & Occidentales Latinorum Eccleſiæ tanquam ſorores germanæ in mutuo amplexu, hoc eſt, in unione Fidei, adhuc perſeverarent, cujus Unionis recuperandæ gratiâ nos in ſacrificio Miſſæ incruento ità ſupplicamus: *Da nobis uno ore & uno corde confiteri & laudare glorioſisſimum nomen tuum Patris & Filii & Spiritus S. &c.* Ergò corpora Patrum illo tam beato Eccleſiæ Chriſtianæ tempore viventium, ob unionis illius ſanctiſſimum conſortium, dono incorruptibilitatis à DEO donata ſunt.

RESPONSIO RUTHENORUM.

Converſio & baptizatio Ruthe-

thenorum univerſalis atquè ultima Anno Æræ Chriſtianæ Milleſimo, ſecundum Baronium Annal. Tom. II. Aut Milleſimo & octavo, imperante eoquè in exemplum ſubditis omnibus primùm baptizato Wlodimiro Swiatoslao Duce, facta eſt. Jam autem Sancti iſti Kijovienſes ſub eodem Wlodimiro Swiatoslao, poſt Baptismum ejus, primum Cryptas illas fundabant. Ergò demum, poſt triſte illud divortium ac ſeceſſum Eccleſiæ Græcorum Orientalis ab Eccleſia Latinorum Occidentali, Cryptas Kijovienſes viventes Patres colebant, & mortui ceu conditoria ſua occupabant &c. Quapropter, Lector Orthodoxe, invidorum objectiones nihil quicquam te moveant.

VI. Et hæc ſunt, tum quæ exteri

teri Kijovienſibus objiciunt, tum quæ Kijovienſes ipſis reponunt. Quæ omnia in hoc caput rediguntur: ſcilicet, Rutheni negant, Patrum ſuorum corpora ſingulari naturæ, loci conſervativi, artis unctoriæ, aut etiam ſeculi beneficio, tot jam ſeculis, manere incorrupta; ſed hancce incorruptibilitatem ſolis ipſorum meritis & ſanctitati vitæ eâ attribuũt religione, ut eam devotis cultibus, jejuniis, precibus, votis, eleemoſynis vita monaſtico crypticâ, aliisquè bonis operibus promeruiſſe ſibi apud DEUM glorientur, atq; imitatione cujusdam Ægyptii Regis in laudes patriæ regniq; ſui ita exclamantis: *Ægyptus noſtra cœlum eſt*, etiam Ruſſi exultantes clamitent; *Kijovia noſtra cœlum eſt.* Cur non terra? Cur Cœlum eſt? Quia (inqui-

quiunt in Πατερικῷ) sunt in Horizonte nostro Planetæ illustrissimi I. *Saturnus*, Sanctus JOHANNES, cujus anima eo erat in peccando frigore, ut castitas ejus nullis illecebris ad libidinem carnalem incendi potuerit. II. Habet Kijovia nostra suum *Jovem* S. MICHAELEM SWIATOSSIUM Ducem Czernichovienſem, qui & Natalium splendorem & Dignitatis Ducalis celsitudinem, cum tenui vitæ Monasticæ conditione, fortunas cum paupertate, purpuram cum cilicio, epulas unctiores cum pane & aqua, metamorphosi stupendâ ultro commutavit. III. Triumphat inter nos *Mars* Victor, S. Moses Hungarus, qui eo animo cum Polona quadam fœmina Principe, ceu Verus Christi athleta, de castitate certabat,

ut ab ea neque blanditiis ullis, nec promissis lautioribus, multo minus exquisitis corporis cruciatibus ad matrimonium cum ea ineundum adigi potuerit. IV. Præsidet Kijoviæ *Sol* & Patronus eminentissimus S. ANTONIUS ROXOLANUS, qui durâ & austera vitâ multorum corda & animos serenabat, & amore Christi omnes incendebat. V. Gaudemus nostra quoque *Venere* aut Phosphoro S. HILARIONE, qui ante exortum in Russia solem Antonium, Cryptam in Berestovia effoderat, in qua etiam religiosè ac piè vitam egit, & absolvit. VI. Spectatur apud nos admirabilis raræque in cœlo ostentationis *Mercurius* S. SIMON Episcopus Susdalensis, qui ea in studiis erat industria atque labore, ut Vitas S.S.

Pa-

Patrum Crypto-Kijovienſium prolixè ac bonâ fide conſcriptas Orbi Chriſtiano traderet. VII. Claret in Cœlo noſtro LUNA illuſtriſſima S. THEODOSIUS, qui, acceptis à ſole ſuo ſerenisſimo S. Antonio auſteræ vitæ Legibus atquè exemplo, præ cœteris Planetis, in tenebris mundanæ luxuriæ, vitæ piæ & bonorum operum facem Mundo præferebat. Sunt præterea in Cryptis ac Cœmiteriis Kijovienſibus centenæ hominum clarorum ſtellulæ, obtutui Spectatorum obviæ. Hactenus Rutheni è Πατερικῷ. Quarum quasdam imago ſequens in templo Divæ Mariæ virginis Deiparæ in Monaſterio Pieczaro-Kijovienſi ſuſpenſa una cum Inſcriptionibus ſuis exhibet, quam imaginem Rutheni Cœlum Kijovien-

se; alii sertū stellatum è catena suspensum vocant.

Sertum Deiparæ Virgini sacrū, cujus flores serti sunt stellæ, in quibus nomina Abbatum, & Archimandritarum, à primis auctoribus ANTONIO & THEODOSIO, tanquam à Sole & Luna, ordine inscripta, in Templo ejusdem DEIPARAE Crypto-Kijovienſi, extant.



SERTUM DEIPARÆ VIRGINI Sacrum, cuius flores stellæ sunt

sertæ: in quibus nomina Abbatum & Archimandritarum á primis auctoribus ANTONIO & THEODOSIO, tanquam á Sole & Luna Ordine inscripta, in templo eiusdem Deiparæ Crypto Kijovienſi, extant.

VII. Hanc igitur tàm annosam à putredine mortali immunitatem atque integritatem corporum in Cryptis depositorum, nec non omnia eorundem miracula Religiosi Kijovienses meritis bonisque ipsorum operibus attribuunt adeò, ut Sanctorum suorum Ruthenorum merita propria unicam & solam istius incorruptibilitatis causam esse in Πατερικῷ non dubitent. Ast magnâ MERITI CHRISTI injuriâ miraculorum & salutis gloria meritis humanis attribuitur. Profectò criminis idololatriæ reus est, qui, quam sibi soli MERITOQVE suo absolutissimo CHRISTUS vendicat gloriam, alienis Sanctorum meritis acceptam ita fert, ut omnia bonis hominum operibus miracula attribuat, nulla verò in CHRISTUM

transſcribat: ubique merita Sanctorum crepat, nuſpiam CHRISTI MERITUM auditur. Sanè nobis Auguſtanæ Confeſſioni addictis talis Religio, æterna eſto religio atque piaculum.

VIII. Quod ſi incorruptibilitatis privilegium humana Divorum Kijovienſium merita, uti ferunt, à DEO reportant; cur, quæſo, Patriarchæ S. Sanctiſſimi, Abraham, Iſaac, Jacob, Sara, Joſeph, & alii in Crypta duplici ſepulti idem non obtinuerunt? Cur tres illi Magi, quos tres Reges vocant, majoribus longè ac divinioribus operibus clari, communi mortalium Lege exempti non ſunt? Etenim corpora ipſorum (quæ vulgata eſt, quam nunc in medio relinquo, opinio) Coloniæ Agrippinæ ad Rhenum ipſemet Anno 1664. in templo Cathetrali Trium Regi-

Regum in conclavi Altaris magni & eo quidem ardentiore desiderio spectabam, quia ab amplius sesqui mille annis à Nativitate JESU CHRISTI ΘΕΑΝΘΡΟΠΟΥ incorrupta ibi ad miraculum supereſſe fando non semel acceperam. Ast ego ibi non tria corpora, sed tria solummodo crania humana in tribus thecis aureis, cum inscriptione CASPAR, MELCHIOR, BALTHASAR, esse comperi. Quare famæ tàm incerta tradenti iratus, iter meum ulterius in Belgiam Rheno secundo prosecutus sum. Quod si tria ista Regum, aut Magorum potiùs, crania sunt σκέλετα; demirari satis non possum, cur DEUS primorum CHRISTI clientum, eorundemque aut Regum aut Regii ordinis sapientum corpora exanima, primis hominum in Novo Fœdere tantisque

que operibus conſpicua, inque Canone ſacro clariſſimos Viros, poſt obitum, integritatis perpetuæ privilegio non donaverit? Eorum quippe opera non privata & paucis ſuorum, ſed publica, & omnibus gentibus fuere in exemplum ſanctisſimum, atque publicè omnibus imitandum populis.

IX. Quid ego porrò ad hæc dicam? Ea hactenus eſt poſt lapſum Originalem humanæ naturæ fragilitas atque ambitio, ut, non usque adeò Parentum primorum degeneres poſteri Paradiſum ſibi in ſua patria plantent, inq; eo aliquam humanitatis ſuæ Majeſtatem incomparabili opponere Divinitati conſilio conentur ſtultisſimo. Adeò altas potentesque peccati Originalis lues, in fibris hominum radices agit, ut multi gratiâ Dei

Dei ex naturali protervia insuper habitâ, ipsimet [incertum quo congrui uti loqvuntur aut condigni jure] cœlum proprio arbitrio promerêri, perque merita sua, ex adultero Pharisæorum ingenio, salutem æternam propriis elaborare sibi manibus, studio allaborent pertinacissimo. Scilicet, ne omnem felicitatis suæ gratiam DEO ferre acceptam, sed in propriis meritis atque gloriola luxuriare etiam, imò Orbem totum in sui admirationem & amores invitent. Hoc ipsum autem quid aliud, quam Idololatricum illud atque virulentum in calice meretricis Babylonicæ vinum est, quo inebriati homines atque gentes sua merita atque opera bona mirum quantum deprædicant; CHRISTI verò Meritum cœlo terraque & infe-

inferis potentissimum tanquam exoletum pudendo inter multos Christianos perit silentio? Pudeat operarios istos CHRISTI nominis! Indignus sanè est gratiâ saluteque CHRISTI, qui Meritum ejus sacratissimum putidis hominum meritis constuprat, & profanat. Utinam bonis vacantes operibus benè de Ecclesiâ mereamur, meritorumque gloriam in solum DEUM transscribamus servi inutiles Luc.12. Sed ita justificata jam pridem est sapientia DEI à filiis hominum operibus manuum suarum gaudentium!

CA-

CAPUT XII.

De CAPITIBUS SEU CRANIIS OLEIFERIS IN CRYPTIS KIJOVIENSIBUS.

SUMMARIUM.

1. *Non omnia corpora Patrum in Crypta Kijovienſi ſunt integra.*
2. *Olei ſalutiferi hiſtoriæ enarratio.*

I.

NOn omnia vitâ defunctorum corpora in Cryptis Kijovienſibus incorrupta eſſe ſuper, teſtis eſt tùm αὐτοψία multorum, tùm Πατερικὸν Sclavonico-Ruthenum Neſtoris. Sed plurima ibidem hominum cadavera ſepulta omninò in ſua reſoluta ſunt principia, ita, ut alicubi oſſa duntaxat eorum, aut

aut in modum ſtruis compoſita, aut abjecta confusè jaceant. Inter quæ crania quædam ſuis quæque cellulis diſpoſita, incertum cujus conditionis hominum, oleum ſanandis, ut ferunt, ægrotantium morbis apprimè conveniens perpetuo ſtillant. Oleum hoc Ruthenis ſacrum eſt. Cœterùm, quia mihi, quid hâc de re ſentiam, nihil quicquam conſtat, ſaltem hiſtoriam de craniis iſtis oleiferis ex Πατερικῷ Sclavonico, qua potero induſtriâ, Latinè interpretabor atquà enarrato perſpicuè.

HIS-

HISTORIA De CRANIIS OLEIFERIS KIJOVIENSIBUS.

Ex ΠΑΤΕΡΙΚΩ Sclavono Ruthenico in Latinum idioma translata.

PRæter corpora venerabilia, quæ in Cryptis incorrupta adhuc manent, extant quædam capita oleifera. Quorum autem ea sint hominum, incerti sumus. Nihilominus ea devotorum DEO *cultorum esse capita religione Christiana credere necesse est: quandoquidem nec pelle nec carne vestita, & ossa dumtaxat omninò arida, exucca, exanguiaquè sunt; attamen stillant ipsissimam olei vel unguenti essentiam. Et quidem non simplex oleum est, sed quod*

donum ac virtutem sanandi omnes morbos exerit in iis, qui sese eo inungunt veraquè ac religiosa fide sibi vim ejus applicant. Quod si petra Mosis baculo percussa, & aquas puras præter naturam ex sese emittens Mosen esse sanctum DEI Virum, olim innuebat. Item, si maxilla asini, quam manus Simsonis Nazaræi tractaverat, quondam puras eodem exemplo aquas scaturiens, significabat, donum gratiæ DEI esse in Simsone Nazaræo: quanto magis capita hæc Crypto- Kijovienſia, quæ oleum verum præter naturam suam, (idquè non simplex aut promiscuum, sed virtute sanandi morbos præditum) stillant, gratiæ insignis donum cultoribus illis DEI religiosis, dum viverent, indultum fuisse cœlitus significabunt. Quæ capita quando homines, non baculo, nec tantum fortuitò manu solâ, sed quasi toto corpore & animâ

ipsa

ipsâ tanguntur, tunc sese cum illis quodammodo unientes virtute ipsorum potiuntur. Quapropter Sanctorum procul omni dubio hominum, & ipsa hæc quoquè miraculosa capita sancta sunt. Quemadmodum & antiquiorum DEI cultorum reliquiæ venerabiles Nikolai Mirlekisky, Demetrii oleiferi & aliorum, hujusmodi unguentum seu oleum stillant: ita hâc ratione capita sacra sè sacrorumquè esse hominum, palam docent. Oleum autem hoc sive unguentum est Mysterium sive signum gratiæ, Misericordiæ & Pacis, quæ omnia DEVS ipse Patriarchæ NOE per ramum olivæ, quem ipsi columba attulerat, significavit. Eodem oleo Salvator jejunium quoquè insignit, Matt. 6. v. 17. Tu, inquit, jejunans oleo caput tuum inunge. *Similiter oleum significat prudentiam, Math. 25. v. 4.* Virgines prudentes acceperunt oleum

um in vasis suis cum lampadibus. *Et Apostolus S. Johannes*: Et hæc, *inquit*, unctio, quam accepistis à DEO, maneat in vobis. *In his igitur omnibus hominibus gratiosis DEVS ipse ostendit, quantopere honoret cultores suos, quando oleum istud sacrum è capitibus ipsorum saluti nostræ manat. Eapropter denuò argumentamur: Quemadmodum oleum Sacrum Reges & Imperatores Regnum aut Imperium auspicantes ungit, lampades accendit, ægrotosquè sanat: sic DEUS ipse in Cryptis istis palam nos docet, Cultores istos suos, è quorum craniis oleum manare videmus, accepisse Regnum cœlorum, intrasse in regionem lucis, ubi nullus dolor est: ibiquè ceu veræ olivæ surculi oleum perpetuo stillantes, insiti sunt oleæ illi vivificæ CHRISTO Salvatori, Rom. 11. v. 17. cujus nomen oleum exprimit, Cantic. 1. v. 3. ubi*

Eccle-

Ecclesia CHRISTVM Sponsum suum hisce verbis salutat : Oleum effusum nomen tuum. *Eodem argumento David Rex & Psalmista ipsum honorat, Psal. 45. v. 8.* Dilexisti justitiam (*male vertit Nestor in* Πατεχικῶ *pro justitia Veritatem*) & odisti iniquitatem ; propterea unxit te ô DEUS, DEUS tuus oleo lætitiæ. *Sic & nos unumquemque istorum DEI cultorum, è quorum capitibus oleum sudare videmus, omnia gratiæ ipsorum dona in unum quasi conferentes, iisdem verbis alloquamur : Dilexisti Veritatem & odisti iniquitatem : ideò unxit te ô Serve DEI, DEus tuus oleo lætitiæ. Lætitiæ, inquam, ceu liberante nos à doloribus. Lætitiæ, porrò, tanquam replente nos in terrâ gratia & benedictione, in cœlis verò gloriâ æterna.*

Et hæc est historia de capitibus oleiferis in Cryptis Kijovienſibus ex Πατερικῷ Rutheno Latinè bonâ fide reddita; jam ſequuntur argumenta, quibus Rutheni, capita ſive crania iſta meritorum atquè ſanctitatis poſſeſſorum ſuorum virtute, oleum ſcaturire ſalutiferum evincere allaborant.

CAPUT XIII.

De ARGUMENTIS RUTHENORUM PRO MIRACULO OLEI CRYPTANI.

SUMMARIUM.

1. *Oleum Crypto-Kijovienſe panaceæ.*
2. *Argumentum à conditione cranii graviſſimum.*

3. Gra-

3. *Græco Ruthenorum religio non est quæstuosa.*
4. *Regum Galliæ cura ægrotorum.*
5. *Merita hominum mortua, MERITVM CHRISTI vivificum.*
6. *Capita trium Regum, majoribus meritis longè illustriora, nullum stillant oleum.*

I.

MAgnum est, quod tradit historia. Esse in Cryptis Kijovienſibus quædam hominum ab aliquot seculis ibidem sepultorum capita seu crania, in discis reposita, quorum nomina vetustate aut injuriâ temporum obsolevêre. Et quamvis crania hæc arida, carioſa & exſucca omnino sint, quod *αὐτοψία* probat; attamen oleum, Nestore & Archimandrita INNOCENTIO GIZIELO testibus, non aquoſum, sed ad instar ungventi paulò spissius, nec

ad fundendum, sed ungvendum commodius, ac virtute sanandi per Roxolaniam celebratissimū, ex iisdem capitibus scaturit. Imò panacææ nomine in Historia Cryptana palam commendatur, atquè adeò miraculosa omnes curandi morbos, dolores acutos mitigandi, membraquè mutila restituendi potestas oleo huic attribuitur. Sanè plus ultrà!

II. Rutheni argumenta tùm aliena sequius hàc de re sentientium refutant, tum pro olei istius miraculo propria eaquè extraordinaria proponunt. Ad aliena argumenta referunt Rutheni 1. argumenta Physica, quæ à conditione Naturæ sumta refutant, scilicet hunc olei salutiferi proventum, non beneficio aut Natura Cranii fieri; quemadmodū enim

ex

ex silice aquam per naturæ Leges nemo excutiet: ita etiam, ex ossibus aridis & exuccis, si vel mille Crania in mortario contusa torcularis prælo subjicias, oleum exprimere, tibi absurdum erit.

III. Evincere tamen instando naturæ factum Adversarii Ruthenorum pergunt. (α) Ossa cranii non solida, sed carioſa, porosa, facilequè friabilia esse: hinc fieri, ut crania illa, poris undiqua versum hiantibus, aërem Cryptæ effluviis aqueis, nec non pingvioribus cadaverum exhalationibus turgentem, jamquè tot effluviis spissiorem factum, perpetuò attrahant, attractum postea in pelvim aut discum, distillent, qui succus coagulatus speciem tandem olei aut opobalsami refert. (β) Nihil novi, nec miraculi res

est, oleum illud ægra hominum viventium corpora sanare, cum ex effluviis corporum in Crypta resolutorum exhalet. Atquè ita, quia per mutuum Naturæ amorem, sive συμπάθειαν oleum illud corpori humano est ὁμογένεον; hinc à simili facilè curatur simile. Exempla plurima id confirmant: namquè adeps omento humano detractus viscera & exta hominum curat: amuletum è pelle humana præparatum morbos contagiosos abigit: sangvis & emplastrum sympathicum etiam eminus vulnera claudit, & quæ alia plura artis Medicæ admiranda proferunt. Quam ego instantiam esse gravissimam censeo.

IV. Eapropter, cum nec Patres Kijovienses in Πατερικῷ suo, nec Ruthenorum quispiam ad

hæc

hæc argumenta respõdeant quicquam, & ego litem hanc facere meam nolo. Decernant eam, qui Cryptas illas salutarunt, & num, præter crania illa oleifera, alia quoquè ossa, scamna, ostia aliaquè lapidea aut lignea aëre humido madeant, tractando ea manibus sensu ipso perceperunt; quod ego quidem in aliis Cryptis ita esse, non una comperi experientia; sed in Kijovienſibus Cryptis hospes sum.

V. Sunt autem, qui Patres Kijovienses fraude agere, capitaquê illa, quæstum ea ex re faciendi gratiâ, oleo perfundere suspicantur; adeoq; fidem historiæ derogant. Ego verò de fide historiæ, quam Lectoris arbitrio relinquo, nihil quicquã solicitus, rem hancce, obtentu quæstus, fraudi religiosorum

assignandam esse nego. Quando quidem, cum in regiâ Magni Ducatus Lithvaniæ Metropoli VILNA Ecclesiæ Invar. Augustanæ Confessioni γνησίως addicta Evangelium prædicarem, occasionem non unam, cum Græco-Ruthenis religiosis de rebus Fidei atquè Ecclesiæ Christianæ conferendi nactus impetrataquè à perquam Reverendo Cœnobiorum Vilnensis & Coronensis Ordinis S. Basilii Præposito, Viroquè in literis & Theologia insigniter docto, Domino MARTINIANO WOLOSZOWICZ fautore & amico meo quondam familiarissimo, sacra Græco-Ruthenorum publicè inspectandi veniâ, nihil quicquam illos in laboriosissimis Liturgiis suis ad quæstum facere, sed omnia ex Lege gratis fieri probè observavi;

vi ; secus atquè apud Pontificios fit, ubi Indulgentiæ, Purgatorium, Divorum defunctorum reliquiæ, Altaria, imagines & statuæ &c. ad quæstum prostant, tandemquè teste Mautuano, etiam

Cœlum est venale Deusque.

Sed in Ecclesia Ruthenorum nihil ego ad quæstum agi, & ne teruncium quidem postulari à quoquam, (eleemosynis ostiariis exceptis) aut conferri vidi. Sacra igitur Græco-Ruthenorum, meo αὐτόπτ testimonio non sunt quæstuosa, sed religiosa, adeoquè Clerus ipsorum ab operis mercenariis quæstuquè Simoniaco planè alienus est.

VI. 2. Proinde Patres Kijovienses, missis è Naturâ depromptis rationibus, ad transcendens Naturam confugiunt argumentum.

Inter

Interrogati enim de miraculi oleiferi causa, dicto citiùs, merita Patrum emortuorum sanctitatemq; vitæ ante actæ allegant. Horum meritorum virtute fieri, ut homines oleo isto inuncti, aut religiosè utentes, accedente fide, cœci videant, surdi audiant, muti loquantur, ulceribus deformati mundentur, ex valetudine decumbentes confirmentur, Dæmoniaq; ab obsessis ejiciantur; &, quod miraculorum familiam ducit, omne donum perfectum à Patre luminum, capitum istorum possessores, suis apud DEUM meritis atq; deprecationibus obtinere posse indigentibus ipso, docent. Confirmant hoc exemplo Regum Galliæ, qui antiquâ consvetudine certis anni temporibus, variis morbis affectos homines, manuum contactu, pristi-

næ

næ restituũt incolumitati, hæc verba dicentes: Rex te tangit, DEUS te sanat. Quo facto multos curavi ægrotos. Causam hujus sanctionis adscribunt hanc: quia Reges Galliarum sunt Reges sacro oleo uncti, cujus unctionis virtute salus hominibus miseris confertur. Si ergo contactus profanus sanat morbos, quanto magis contactus oleumquè sanctorum DEI servorum.

VII. Hoc autem, quod Græcorum æquè ac Latinorum Pontificiorum Ecclesiam nimium deformat, ferendum nequaquam est sacrilegium, quod omnia DEI dona perfecta, remissionem peccatorum, adeoquè justitiam & vitam æternam humanis Divorum suorum meritis attribuant, plebiquè imperitæ preces ac merita ser-

vo-

vorum hominum eâ commendent instantiâ, ut meriti DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, nulla in toto Πατερικῷ faciant mentionem: & in sanitatis aliorumquè donorum collatione non MERITUM CHRISTI, sed putida hominum merita hominibus applicantur. Ita enim Sylvester KLOSSOW Episcopus, Rutheno-Mecislaviensis, Orszanensis & Mohiloviensis, in sui Πατερικῷ contracti compendio lingva Polonica conscripto, & Kijoviæ Anno M. DC. XXXV. edito: item in libro de miraculis virtute, intercessionibus ac meritis Patrum & Capitum Crypto-Kijovienſiū patratis passim facit, atquè docet. Dum autē Episcopi Christiani omnem beneficiorum DEI gloriam meritis & sanctitati vitæ humanæ ferunt ac-

acceptam, Merito FILII DEI, tanquam si à dispensatione donorum cœlestium ille esset alienus, nullam planè in Cryptis suis assignant; sed, quam cruento admodum funere, amaraque corporis & animæ suæ passione & sibi acquisivit gloriam, & nobis emeruit salutem; CHRISTO abrogant omninò, quicquid illi hac in re excusent, aut limitent: atque ita florentibus in Crypta Kijovienſi mortuorum hominum meritis atque mediatione apud DEUM, MERITUM Principis vitæ marcescit sensim & obolescit, tandemque animis hominum evanescit.

VIII. Nos Ecclesiæ primitivæ Apostolico-Catholicæ genuini Filii, Augustanæque Confessioni addicti fratres, quoties ad Patrem venire, ac ejus gratiam atque in-

dulgentiam impetrare volumus, per CHRISTUM venimus, omniaquè à DEO obtinemus. Si deprecatione pro admissis sceleribus est opus, habemus deprecatorem apud DEUM JESUM CHRISTUM justum, cujus solius obedientia atquè Merito justitia salusq; nobis comparata est. Ast cujus autoritate quæso, Antonius aut Theodosius Mediatores salutis atquè saluti hominum opitulatores à DEO sunt constituti? Si enim cum sanctis æterna in cœlis felicitate frui animus est; profectò non est in alio quoquam salus, nec est aliud salutis nomen datum hominibus, quam nomen Domini NOSTRI JESU CHRISTI, Act. 4. Et hæc Fides verè Apostolica & Catholica sacratissimum olim CHRISTI

ME-

MERITUM, non autem Merita humana miſeris hominibus proponebat ſemper, atque enixius commendabat, quam quidem nunc faciunt, qui ſe Canonicæ Fidei Chriſtianæ poſſeſſores, ſolosque præ cæteris Catholicos eſſe, gloriantur: Qui, ne quid ſoli CHRISTO ſuperſit gloriæ, etiam vitæ æternæ Meritum mortuis ſanctorum operibus acceptum ferunt, illudque rudi applicant plebeculæ. Certè olim non erat ſic.

IX. Quod Kijovienſes ad Boryſthenem de oleiferis ſuorum craniis ſtatuunt, hoc ipſum etiam Colonienſes ad Rhenum de aſervatis apud ſe in Templo Cathedrali trium Regum craniis aſſerere poſſent. Crania autem illa regia, in Cryptula ſua, inquè

aureis thecis quadratis, à tot seculis reposita, nullum unquam scaturiere oleum; cum tamen si miraculorum gratia operibus hominum debetur, Regum illorum, seu potius Magorum, qui illustrioribus longè atquè majoribus operibus, quàm multi alii fuere conspicui, corpora l. capita non oleum aut unguentum aliquod, sed balsamum thure, myrrhâ, auroquè ipso pretiosius non stillare duntaxat, sed ultro atque in magna copia effundere deberent. Quamvis nunc neq; pro veritate illorum corporum disputare, nec falsitatem impugnare mihi sit animus.

X. Alia ergo indaganda erit causa, cur tria illa *Casparis*, *Melchioris*, *& Balthasaris* (ita enim ipsorum est Coloniæ inscriptio) Regum

gum vel Magorum itidem arida & exucca capita oleum non sudent, neque stillent? Et ea quidem mihi, qui ut supra monui, Anno 1664. Coloniæ Agrippinæ cryptam illam ingressus, omniaque cum cura contemplatus sum, in promptu est: quia Colonienſis trium Regum crypta, non subtus sed suprà terram, & quidem intra Altare magnum in conclavi angusto non effossa, sed structa è lapide polito est. Hinc quia Cryptula illa certis hebdomade diebus atque horis, valvis recluſis, ita patet, ut per tenues eosque inauratos cancellos eò penetret aër siccus, eamquè fere quotidie permeet, nullus ibi humor, nec sudor esse & consequenter nec oleum ullum stillare potest. Applica, Lector, & judica.

CAPUT XIV.

De RUTHENORUM INGENIO

SUMMARIUM.

1. *Cum Græco-Ruthenis de Fidei Christianæ Articulis frustra ex Patribus disputatur.*
2. *Rutheni Religionis suæ tenaces & constantissimi sunt.*
3. *Sacra Græco-Ruthenorum harmonica.*
4. *Ecclesiastes ex memoria concionans Ruthenis quibusdam mendax audit.*
5. *Sacerdotes Ruthenis Angeli Deiferi.*
6. *Rutheni Christiani Canonici. Sed*
7. *Iconolatræ abominandi ac superstitiosi.*

I.

INgenium Russiæ observare molis magnæ est, qua maximè adhibita vix tamen assequi datur, cum

cum Ruſſi Septentrionales barbariè efferati, exterorum curam finibus, urbibus templisque ſuis arceant; Meridionales verò ſeu Boryſthenidæ, rerum ſuarum invidiâ, pectoris ſui viſcera inſpici vix tandem patiuntur. Quantum tamen tum in itinere Moſcovitico perſpicere, potisſimum verò ex familiari cum Græco-Ruthenis Patribus conſuetudine, quorum indultu ſingulari Vilnæ in Lithvania in templo Spiritus S. atque in Monaſterio Ordinis S. Baſilii ipſorum Pædo-Baptisſimum, nec non cujusdam Viri Scythæ quadragenarii converſi ſolennem in Eccleſiam ipſorum acceptionem, ejusdemquè publicam per Baptismum initiationem: circa Liturgiam rationem adminiſtrandi ſacramentum Cœnæ DOMINI-

CÆ: lotionem pedum die Viridium: Copulationem Neogamorum: Horas Canonicas, aliosq; Græco-Ruthenorum ritus Ecclesiasticos, αὐτόπτη inspectare mihi nonnullaque alia, instituto cum ipsis non uno colloquio discere ex ipsis licuit, tecum, Lector, benevole, communicare paucis, apud me certo consilio constitui.

II. Produnt autem præ cæteris ingenium ipsorum tàm Religio, quam civilium morum quædam admiranda specimina. In religione ipsorum occurrunt: 1. *Disputationis de FIDEI dogmatibus incertitudo.* Disputans enim quodam tempore VILNÆ cum venerabili Domino Abbate suprà sæpius laudato WOLOSZCOWICZ de Processione Spiritus S. cum post evi-

evictam ex literis sacris Spiritus S. à. Patre & Filio processionem, conciliorum quoque Nicæni, Constantinopolitani, symboli Divi Athanasii, nec non S. Basilii autoritatem in testimonium adducerem; ille, objecto falsi crimine, omnes Græcorum Patrum libros, Conciliorum decreta adeoque & Symbolum S. Athanasii, ab Ecclesiâ Occidentali, odio Orientalium Græcorum corrupta esse contendebat, nec se nisi ex ipsorum Græco-Ruthenorum libris, quos solos esse sibi intemeratos, convinci volebat. Quicquid igitur illis ex Patribus Græcis in Germaniâ, Gallia aut Anglia editis objeceris, omnes libros istos dedita opera esse corruptos tibi reponet, atquè ita disputationi catastrophe, silentium erit indigna-

bundum. Idem de reliquis FIDEI Articulis conferendo experieris; ſuſpecta enim ipſis Occidentalia Latinorum dogmata, librisq; ab ipſis editis fidem habere dedignantur.

III. 2. Nec minus eſt ſtupendus ipſorum Diſciplinæ Eccleſiaſticæ rigor atquè vigor: ac præcipuè excommunicatio peremptoria ſive Bannum majus, quo ſacrilegii, aut alius cujuspiam criminis magni reus, in facie Eccleſiæ, à Præſule ritibus ad terrorem compoſitis, excommunicatur publicè ita, ut, ni reſipuerit maturè, etiam poſt mortem Banni illius fulmine percuſſi hominis corpus terrâ indignum inſepultumque maneat, donec precibus amicorum exoratus Præſul excommunicatum reum à Banno illo peremptorio publicè

blicè denuo atque ſolenniter abſolverit : quo facto, ab Eccleſia, magnâ tùm doloris ac ſimul lætitiæ ſignificatione, juſta ei demum funebria in Cœmiterio perſolvuntur.

IV. 3. RELIGIONIS ſuæ TENACITAS, atquè conſtantia ea ipſis eſt, ut ſolas Orientales Eccleſias, veras & puritate Apoſtolicâ gaudentes, ſe quoquè ſolos Orthodoxos, ſolos Chriſtianos ingenuos ; Occidentales verò Eccleſias atquè Chriſtianos ſpurios atquè impuros eſſe cenſeant. Hinc (α.) Ruthenus Ruthenum in itinere ſalutans non proprio ipſum aut amici nomine, ſed ſuperbo admodum PRAWOSLAWNY, id eſt, Chriſtiani Canonici, ſive Orthodoxi celebris titulo compellat. Hinc excrucia centum, occi-

de

de mille Ruthenos, certè vix unus à Religione sua degenerabit: nihil enim durius in humanis rebus est, quàm avitas religiones, quibus quisquè innutritus est, alieno jussu ejurare.

V. Fit quoquè, ut Moscovitæ nostrates, ceu spurium ac profanum Christianorum fœtum, suis arceant Templis atquè Monasteriis. Cum quondam forte Lutheranorum vel Pontificiorum quispiam in ipsorum castra transire, sacraquè Ruthenorum amplecti vellet, damnato priore ejus Baptismo, denuo proselytum illum rebaptizabant, qui tamen Ruthenorum Anabaptismus, autoritate Patriarcharum aliquot in Synodo Moscovienſi haud ita pridem abrogatus est; adeoquè Lutherani nostri, quos illi Saxones, & Reformati,

mati, quos Calvinianos vocant, ejurare duntaxat pravos sua opinione errores coguntur: quo facto, precibus, aliisquè paucis admodum ceremoniis adhibitis, in Ecclesiæ suæ gremium nullo negotio eos recipiunt, moxquè Orthodoxiæ nomine celebres sive Canonicos appellant. Qua de re ipsorum ΕΥΧΟΛΟΓΙΟΝ, quod Lingvâ Sclavonicâ TREBNIK dicitur, suo loco legi potest. Deficientes verò ab Ecclesiæ suæ communione diris devovent atq; execrantur. Unde Constantinopolitanos inter & Romanos, quos UNITOS, sive Latino-Ruthenos cum Ecclesia Romana vulgò vocant, internecinum planè tantumquè intercedit odium, ut ne umbram quidem illorum ferre velint. Obviam autem sibi for-

fortè fortuna facti, Græco-Ruteni Veteres, Schismatici ab Unitis, Uniti verò ab Veteribus Græco-Ruthenis, carnivori Ventres, Romani Papicolæ convitiis reciprocis sese ultro citroquè lacerantes audiunt. Imò apostasiæ Unitorum indignitate exasperati Veteres Græco-Rutheni ferro flammaquè in Latino Ruthenos sæviunt, quod fatalis illa Cosaccorum veteri Orientali Græcæ Ecclesiæ addictorum (quos Uniti & Pontificii per convitium vocant Schismaticos) rebellio Anno CHRISTI M. DC. XLVIII. duce Chmielnicio, contrà Polonos excitata docet: in qua multa Unitorum millia à Cosaccis Schismaticis pecudum vicem nactata sunt, qua de re Pastorius, Florus Polonicus Indifferentis, & alii.

VI.

VI. SACRORUM LITURGIÆ (ita Missam vocant) ELEGANTIA. Sanctiùs longè atquè elegantius apud Græco-Ruthenos colitur DEUS, quam quidem apud Romanos. Psalmi enim aliiquè sacri Patrum Hymni in templis, accinente lingvâ vernaculâ populo, arte Musica, in qua Discantus, Altus, Tenor & Bassus, harmonia svavissima & sonora distinctè audiuntur, quotidie ibi decantantur. Intelligit apud eos plebs promiscua, quæ Clerus lingvâ Sclavonicâ vernacula aut canit, aut orat: Hinc omnes conjunctis Clero vocibus eâ cantant harmoniâ ac devotione, ut audiens raptum me in ἅγιασιν, Hierosolymis esse, primitivæquè ibi Christianorum Ecclesiæ faciem atquè spiritum videre mihi viderer, eoquè nomine Filium

um DEI, ſacrorum Ruthenicorum ſimplicitati illachrymando, ex Symbolo Divorum Ambroſii & Auguſtini laudavi, inquiens: *Pleni ſunt cœli & terra Majeſtatis gloriæ tuæ!* Apponam hic, quibꝰ Sclavi ac Rutheni cantantes utuntur, notas Muſicas:

NOTÆ MUSICÆ RUTHENORUM.



Sanè

SAnè, quando Psalmi atq; Hymni harmonici in spiritu & veritate cantantur, fides piorum in amore FILII DEI usque adeò accenditur, ut unita ei fidelis anima Sponsa, extra se rapta, vitæ æternæ delicias sentiat. Cujusmodi harmoniâ in Regiomontanis, Dantiscanis, aliisque Ecclesiis augustioribus Cantilenæ ac Motetæ Sacræ antiquâ fide ac religione, autore Phonasco clarissimo Stobæo, dulcissimè, tàm Latino quàm Germanico idiomate, ac spiritu verè devoto, resonant; secus quidem, atque hodie Itali atque Galli, abjectis veterum Musicorum *Orlandi di Lasso*, *Prætorii*, *Vulpii*, *Hammerschmidii* paulò tardiore, quem vocant, tactu gradientibus Motetis, quas religiosa Patrum nostrorum gravitas atque spiritus verè Θεόπνευ-

πνευθ@ commendat, novâ & satis quidem levi arte numerisque celerrimis, ita in Ecclesiâ pipiunt, aut soluto in luxuriam & concusso cachinno boantes tremunt, ut ridere eos aut insanire voce solâ cantantes existimes haud injuriâ. Quâ vocis lasciviâ devotæ orantium fidelium mentes non impediuntur duntaxat in religione suâ, sed à Vero DEI spiritu atque laudibus impiè avocantur, ut non jam DEO, non CHRISTO glorioſæ ipsius gratiæ, sed Cantori Italo, aut Gallo laus artis Musicæ à vulgo in Ecclesia attribuatur. Non odio artis Musicæ, cujus ego studiosissimus cultor, inque omnibus Scholis, quibus Rector præfui quondam, auctor instantissimus fui; sed expertus, desultoriam Musicorum in certando levitatem

tem in Ecclesia fieri solitam damno. Non ferenda igitur est hæc in Ecclesiis Christianis tàm vesana Religionis profanatio. Quod si avorum nostrorum ruditas minimè probatur; ito, mi Phonasce, ad Græcos, in Dalmatiam, Sclavoniam, Bosniam, Mysiam, Russiam &c. &, quam tu homo levis fers susque deque, etiamque rides impiè, devotam Ecclesiæ primitivæ in laudibus DEI simplicitatem admirare atque edisce, quæ ignoras. Privatim verò vel ipsemet arte Musica tecum concertabo.

VII. CONCIONES Sacræ super Evangelia & Epistolas, aut textus sacri indifferentes in Urbibus Ruthenorum, perinde atque apud nos, non ea tamen frequentia, ad populum habentur. In pagis autem

tem & in oppidis tenuioribus Homiliæ Patrum diebus festis atque DOMINICIS prælegũntur. Ubi eam in plebe Ruthenorũ & Sclavonum, præsertim qui in finibus Hungariæ superioris agunt, adverti simplicitatem, ut, si Mysta sacer concionem in Ecclesia recitaret ex memoria, Rutheni eum mentiri existimarent, adeoque somnia & mendacia sua proponi sibi indignarentur. Si vero ipsis ex libro prælegeris homiliam, omnes te, aperto capite, manibusque complicatis, stantes vel bipennibus suis innixi, subindeque suspirantes, audient attentissimè.

VIII. Præterea tantâ REVERENTIA sacerdotes suos (Sclavonicè POP dicuntur) colunt, ut Angelorum vicem eos revereantur, dictoque ipsorum sint audientis-

entisſimi. Hinc etiam promiſcuos ſacerdotes, rarò aut nunquam nominibus propriis, ſemper autem ſummis ferè Pontificum titulis, Venerabiles, Deiferos, Sanctos, Patres, beatosque ſemper cernui atque humiles, ſalutant: ipſorum ſtudia & conciones ſunt illis cogitationes DEI. Conſenſum in aliquâ re, benedictionem: voluntatemque eorum vocant gratiam. Allocuturi Paſtores ſuos, rem ſuam ita exordiuntur: *Blogoslavv Oycze*, id eſt: Benedic mihi, ô Pater! Quæ formula implorandi à Sacerdote felix rerum auſpicium, veteri illi, DOMINE JUBE BENEDICERE, ferè eſt conſentanea. Tanti æſtimant Rutheni ſuos Præſules & Sacerdotes, qui tamen plerumque rudes ſcientiarum ac inertes, præſertim in Moſcovia, ſunt; ſecus ac

quidem apud nos quidam Politici malè feriati Paſtores animarum ſuarum vocant Dominos, quo titulo ipſos tacitè illudunt, eosque habent deſpicatui, ignari Christum omnia hæc opprobria in ſe tranſcripturum, atque olim ſeverè vindicaturum.

IX. Quemadmodum autem in rebus humanis Doctore Poëta:

Nihil eſt ab omni parte beatum:

Ita Eccleſia Græco-Ruthena Orientalis ſuos quoque eosque damnabiles errores fovet. Mali corvi malum ovum. Theologi Græco Rutheni falſo, atquè adeo malo nixi principio, ſolos ſe Orthodoxiæ nomine celebres atq; Canonicos gloriantur Chriſtianos. Namquè Salutis æternæ principium atquè auctoritatem MERITUM CHRISTI & ſimul merita Sancto-

ctorum ſuorũ conſtituunt: Item, præter CHRISTUM, Sanctos quoquè in patrocinium invocant, nec datur apud illos ad DEUM acceſſus, niſi, errore cùm Pontificiis communi, per Sanctos emortuos. Homines miſeri, dum nimio Patrum ſtudio tenentur, CHRISTUM æternitatis Patrem unicum ſalutis fontem, atque juratum DEO Mediatorem Pſal. 110. in Mundum introductum univerſum ſolenniter inauguratum, eumque ab Angelis adoratum, Pſal. 97. ℣. 7. Hebr. 1. ℣. 6. & laudatum Hiob. 38. ℣. 7. aut negligunt, aut partito cum Sanctis honore ejus, non toto eum animo colunt, nec cogitant, nõ eſſe præter JESUM CHRISTUM aliud honoris, aut ſalutis nomen Eſa. 42. ℣. 8. Act. 4. ut ſuprà monui. Hæc Sanctorum apud Græcos invoca-

tio ex Orationibus Panegyricis, Basilii, Nysseni & Nazianzeni sua traxit initia. Qui Patres, insigni in orando excellentes facundiâ, variis in concionando figuris Rhetoricis usi, jam velut superstites alloquebantur mortuos, jam eorum intercessiones expetebant. Atquè ita, quod Patres Græci studio faciebant eloquentiæ, rudioribus postea errandi exemplum præbuit: atq; ita nunc errorem hunc in Oriente & Occidente errāt strenuè.

X. Accusati verò de sua plus quam barbara Iconolatria excusant eam vehementer, docentquè se non colere statuas, sed sacras duntaxat Deiparæ, Apostolorum & sanctorum Patrum imagines, adeoquè hæc duo πρῶτα ψεῦδα principii loco adducunt. α. Solas statuas esse idola. β. Iconolatriam

non

non esse idololatriam. Sanè constat ex Scriptoribus Ecclesiasticis, fuisse olim in Ecclesia imagines: sed teste Epiphanio, non alius earundem fuit publicè privatimque usus, quàm Historicus, Ethicus, & Politicus, qui usus mox in abusum adorationis & manifestam degeneravit Idololatriam. Hinc rudis Ruthenorum plebecula nonnisi ad imaginem orant, peccataque sua fusis lacrymis deplorantes imaginem Deiparæ Virginis subinde exosculantur, utque ejus deprecatione veniam apud DEUM consequantur, enixè eam, nec cernui duntaxat, sed prostrati omnino in terram id precantur. Interea de CHRISTI-Merito aut Intercessione altum ibi est silentium. Privatim verò ingressi domum, ante omnia Larem pictum (cujuscunq;

Divorum imagunculam) angulo parietum affixum, ſacræ Crucis ſigno ſeſe munientes, ternis vicibus ſalutant: quo Lare primùm ſalutato, poſtea Patrem Matremque familias ac reliquos inquilinos aut hoſpites, DEUM eis precatus propitium, demum appellat; quod ipſum domo excedens iterum facit. Imò nec in foro aut plateis viſam fortè imagunculam Ruthenus idiota inſalutatam præteribit. Qui lethalis Ruthenorum catarrhus ab Imperiali Irenes matris cùm Filio Conſtantino VI. in Oriente regnantis capite profluxit. Hæc enim mulier animi impotens, atq; altera Ieſabel ſuperſtitioſa, Anno Domini Iↄ CC LXXXVII. in Concilio Nicæno II. quod Oecumenicum VII. alii VIII. fuiſſe volunt, per ſuos complices, inſtando de-

do decretum istud evicit : sacras imagines non tantùm haberi posse ad usum historicum, sed etiam ex mandato divino necessarias in templis esse; imò venerandas, osculandas, colendas, & adorandas, nec non cereis, suffitu & similibus ceremoniis honorandas. Quod Græcorum decretum synodus ab Imperatore Carolo M. Francofurti ad Mœnum Anno Christi Io CCXCIV. ex trecentis Episcopis coacta ita refutavit, ut, historico Imaginum usu approbato, adoratio, exosculatio, & salutatio earundem damnaretur, synodusque illa Nicæna II. Pseudo synodus declarata, ex Conciliorum Oecumenicorum dignitate atque numero VII. eliminaretur. Et hinc illa Græco-Ruthenarum Ecclesiarum deliquia. Nec est, quod Idolola-

Iolatriam usquè adeò excúsent; namquè ego in Moscovia iter faciens αὐλόπτης comperi, quod plebecula Ruthenica ea sit ruditate, ut imagines vivere, sentire ac responsa quandoquè petentibus dare, persuasissimum habeat. Quod autem incertum, quo spiritu fiat.

CAPUT XV.

De ADMIRANDIS RUTHENORUM REBUS.

SUMMARIUM.

1. *Lingua Sclavonica ex matrice Hebræa enata.*
2. *Lingua Sclavonica inter Cardinales Linguas recensenda.*
3. *Eadem est magno terrarum tractu amplissima.*
4. *Rutheni Borysthenidæ docti & humaniores, Moscovitæ verò barbari.*
5. *Roxolanorum in universum mutuus & sincerus inter se affectus.*

I. In-

I.

INter alia Ruthenorum admiranda, post Sacra Ecclesiastica, occurrunt præ cæteris Linguæ ipsorum Ruthena & Sclavonica: quæ inter se Dialecto tanquam filia à Matre suâ differunt. Etenim Lingua Sclavonica est mater (derivata ab Origine seu Radice sua HEBRÆA) Ruthenicæ, Polonicæ, Vandalicæ, Moscoviticæ, Bohemicæ, Croaticæ, Illyricæ, nec non Bulgarorum Walachorum &c. quæ omnes, è Matrice Sclavonicà tanquam à lingua sua cardinali, enatæ, filiales dicuntur; inter se tamen, ut sunt rerum vicissitudines, nonnihil differentes. Nihilominùs Biblia Veteris & Novi Testamenti, nec non Rituale sive ΈΤΧΟΛΟΓΙΟΝ (Ruthenis *Trebnik* dicitur) aliique Libri Sacri passim in templis leguntur publicè & privatim. Mater autem hæc SCLAVONICA à prima omnium linguarum radice HEBRÆA palam, ut jam dixi, derivata est.

II. Et hæc sunto duo in Sclavonica lingua admiranda. Primum est, quod longè lateque per Europam diffusa sit. Cogita, quæso Lector, & metire per tot gen-

gentes linguæ istius amplitudinem, à Mari Adriatico per Illyricum, Dalmatiam, Traciam, Bulgariam, & nunc regno Astracam à Magno Duce Moscoviæ occupato, ultrà Mare Caspium sese porrigentem. Scande porrò gradus latitudinis ejus in Meridiano ab ipsa Constantinopoli, ubi hæc lingua, & in Aula quidem Imperatoris Turcarum, promiscua est, per tractum Boryslhenis, totamque Moscoviam, usque ad Mare Deucaleonium, experieris, videbis, & miraberis, quemadmodum Deus benedictus & glorioſus, tot gentes, tanto Europæ & Asiæ intervallo, ac diversitate inter se dissidentes, sub unitate & linguæ Sclavonicæ, & Fidei Græco-Ruthenicæ congregavit, atque univit, qui nexus, & communio, pauciſſimis Russorum, qui à Patriarchâ Constantinopolitano secessu facto ad Romanum Pontificem hoc seculo defecere, exceptis, adhuc inter eos durat.

III. Alterum est Mysterium, quod Sclavonica lingua Hebraicè etiam loquitur. Quis mortalium hoc credidisset unquam, Russos & Polonos in sua vernacula

cula hebraizare, qui à lingua illa abhorrent omninò, ut videre Polonum aut Russum Hebræum, avem te toto orbe rarissimam videre meritò dixeris? Ego autem, Biblia Hebræa, cum cura legendo, attonitus mysterio, observavi, idioma Sclavono-Polonicum in vocabulis multis, non coactè aut per literarum μετάθεσιν duntaxat, sed & materialiter (cum Philosophis loquor) in ipsis literis radicalibus, & formaliter quoad sensum eundē vel significationem cognatam, deprehendi; quæ, si Deus vitam concesserit, ex accuratiore Prophetarum lectione (eo usque enim animo voces Sclavono-Polonicas inquirendi hactenus perveni) plura me annotaturum, atque in lucem publicam edituru polliceor. Quod si Harmonia quatuor linguarum Cardinalium, auctore Clarissimo GEORGIO CRUCIGERO, stupenda nobis est; utique, si ex Hebræa matrice minimum ducenta Sclavonum & Polonorum vocabula derivavero, non minus erit Lectori linguarum industrio miraculum. Interea aliquot duntaxat voces Sclavono-Sarmaticas ex Hebræis matri-

matricibus, ceu ex communi linguarum fonte, derivabo; & quidem primò vocabula nonnulla, quæ Poloni cum aliis linguis, ex communi omnium linguarum fonte Hebræo derivant, hic paucis præmittam:

VOCABULA COMMUNIA.

מוֹר, Myrrha. Polonicè, Myrra.

אֲהָלוֹת Aloë. Polon. Aloë.

אֵזוֹב Hyssopus. Polon. Yssop, vel diminutivè. Ysopek.

שַׂק, Saccus. Sclavonicè Sak, cauda retis. Polon. nievvod.

סַפִּיר Sapphyrus. Pol. Szafir. & id genus plura alia.

Vocabula singularia Sclavonica & Polonica ex radicibus Hebræis derivata.

אב Latinè Pater: Syriacè, Abba: Arabico-Turcico idiomate, Babam: Polonicum *Bábá*, mulier annosa, Cognatâ significatione.

אוּלָם porticus. Unde Sclavono-Polonicum *ulicá*, platea, & *uliczny ganek*, porticus foras in plateam porrectus. Hinc Lithuanicum verbum

ulam,

ulam, *ulae*, hoc est, deambulo, ich spatzire.

אָמַן nutrivit. Unde Polonicum *mámká*, nutrix.

בוח eructare. Polon. *bucham*, *wybucham*, eructo.

בוּל palleo. Sclavonicè *bol*, morbus pallidus, dolor. Unde Adjectivum Sclavon. *bolny*, Polon. *bolesny*, æger quasi dolorosus.

בוץ byssus. Polon. *bisior*.

גָּלַח retexit se. Polonicum inde *gole* & *goly*, nudus.

גָּרַר miscuit litem. Unde Polonicum nomen *ogar*, quod est canis sagax cum feris litigans.

גַּלְגַּל rota. Polonis & Sclavonibus per cognatum k, dicitur *Kolo*, Eccles. 12. v. 6.

גוי gens. Unde Polonicum *gaj*, lucus gentilis seu paganus, quia cum gentilibus gojim, olim sacrificabant Poloni iidem gentiles in lucis, quos *gáje* vocabant.

דֶּלֶת ostium, janua, porta, à radice דָּלַל attenuavit. Unde Polon.

cum *dyl, dyle, dylowáne drzwi, wrotá.*

דֶּרֶךְ via. Sclavonicè doroha. Polonicè *drogá.*

דוֹד amor, vel patruus. Sclavonicè *Diad.* Polonicè *Dziad.* Item à דוד venit vox *dudy,* hoc eſt, tibia ruſticorum utricularis: & *Duda* utricularius: item *dudek* upupa, metaphoricè homo ſimplex.

דוּם ſiluit, obmutuit. Hinc Polonicum *dumá,* quaſi ſilens & latens ſuperbia.

הוֹר mons. Sclavonicum *borá.* Polonicum *gorá.*

הֲלָלוֹת inſania. Poloni luxuriantes plerumque ad inſaniam hac voce homines & bruta incitare ſolent. Sed forſan hoc aliis etiam lingvis commune eſt.

זָרְזִיר equus accinctus ad prælium, Prov. 30. v. 31. Polonicè *rzác,* hinnire, *kón rza,* equus hinnit.

חָמַם æſtuare, ardere. Polon. *komin,* caminus. Cognatum.

כַּד hydria. Latinè cadus. Polon. *klodá.*

כָּרַע incurvavit ſe Polon. *kurczył ſie,* Geneſ. 49. v. 9. Sclavon. *koricſia.* unde Polon.

Polon. *korzeſie*: & nomen *pokorá*, hoc eſt, cernua ſeu curva humilitas.

לָבִיא Leo immanis. Polon. *Lew*.

לֵב cor. Sclav. *Lubo*. *Polon. lubie*, ex corde volo, *luboſć* concupiſcentia.

לֹג menſura, lagena. Polon. *lagiew*, quod idem ſignificat.

מוֹט motus. Polonicum inde *motam*, fila è fuſo ducta ordino. Unde *motowidlo*.

מוֹהֵל, circumciſor. Unde Sclavono-Tartaricum. Item *matam* circumago, præſtigior. *motá*, hoc eſt, ſacerdos circumcidens & ſimul orans.

מָסַךְ miſcuit. Polon. *mieſzam* i.e. miſceo.

מָשַׁח unxit. Polon. *mázác*, ungere. Unde nomen *Pomárániec*, unctus, Meſſias.

מוּם macula. Unde Polon. *mamie kogo*, faſcino.

מִלּוֹנָה tugurium, Polon. *mlyn*, id eſt caſa molaris.

מָצָא invenit. Unde Polon. *mácam*, in eſt, palpando aliquid invenio.

מִשְׁלֵי Proverbia. Polon. & Sclavon. *mysli* cogitationes.

נָשַׁק oſculatus eſt. Unde Poloni à Judæis, נָשָׁק acceperunt, ex temerè pronuntiando puerum delicatulum

vocant Jáſiek, quaſi Johannulus deoſculandus.

נָוֶה decora. Polonicè *nowa*, *nowy*, novus, recens: nam omne novum eſt plerumque decorum.

נָשָׂא portavit. Polon. *noſre*, *nioſe*, *noſic*.

נִין filius. Unde priſca vox Sclavonica *Náno*, *nánko*, hoc eſt Pater filiator, ſive Pater filiorum, cui opponitur Pater improlis, ſive ſine filiis.

סָבָל bajulus. Polonicè *ſzáblá*, acinacis, ein Sebel/ eò quod è balteo dependens è latere geſtetur.

עָנָק kanak, torques. Unde Polonis *kának*, idem ſignificans, nempe torquem aureum.

פָּתַח & פתח aperuit. Polonis per metatheſin literarum ת & פ *otwieram* aperio. Item *Pátent* hoc eſt, literæ apertæ ſeu patentes.

פָּשִׁישׁ malleus percutiens. Unde Græcum πατάσσω percutio & Sclavonicum *pátok*, baculus feriens, quo in Moſcovia damnati à judice publicè fuſtigantur

צאצאים pueri. Polonis *cycownicy*, *cycownik*,

cownik, infantes lactantes, aut pueri per opprobrium quasi mammarii ob mollitiem, aut, quod puerile quidpiam designaverint, dicti.

קָלַל maledixit. Sclavonicè & ex Sclavonica matrice Polon. *klac*. Unde nomen קְלָלָה *klatwá* Maledictio, execratio vel Excommunicatio Ecclesiastica.

קָרוֹעַ scindere. Polonicè *kráje*. scindo Eccles. 3. v. 7. à radice קָרַע scidit, rupit.

קָרַב appropinquavit. Unde Polonis *krewny*, propinquus sanguine, sive consanguineus.

קוֹמָה altitudo (statura) ejus. *Polon. chomato* id est helcium, quod alto equi collo inditur, 1. Reg. 6. v. 20. Cantic. 7. v. 7. à radice קוּם stetit.

קָשַׁר ligavit. Polonicum inde nomen kosz, id est corbis plicatus. Item *kászerz*, id est, reticulum colligatum.

רִב jurgium, rixa. Hinc Polonicum *rwác sie zkim* & *rwânie*.

רָסַס asperšit. Unde Polonis *rosá*: &

רְסִסֵי לַיְלָה aſperſiones noctis, Polonicè *rosá nocna.*

שָׂדֶה ager. Unde Polonis verbum radicale *sádze co*, inſero aliquid: & derivativum *ſad*, pomarium, ſive ager arboribus fructiferis abundans, quales olim in Palæſtina fuiſſe hiſtoria ſacra teſtis. Similes agri hodie in Alſatia, Palatinatu aliisque pluribus in locis extant, ſi modo hac tantâ bellorum tempeſtate ibidem adhuc extant.

שִׁלְטוֹן imperium. Unde Arabico-Turcicum SULTAN, hoc eſt Imperator. E qua matrice enatum eſt Polonicum *Szoltys*, id eſt, præfectus ruſticorum.

תָּמָר palma. Polon. *Támáryſzek*, palma Tamarix ſeu myrice, eò quod folia tamaricis foliis palmæ fere ſimilia ſint.

תָּמַךְ ſuſtentavit, ſuſtinuit. Unde Polonis *Támá*, agger, ſeu moles fluctibus objecta: & verbum *támuje*, ſuſtineo aquam aggeribus.

Et hæc ſunt, Lector benevole, vocabula Polonica ſingularia, quorum radices in Sancta Hebræorum lingua hactenus obſervavi, numero quinquaginta unum. Unum dico

dico ſupra numerum quinquagenarium : ut ſcias, plura mihi in promptu eſſe : quæ, ut ſupra dixi, ſimul atq; me DOMINUS ab exilio ad aliam Eccleſiam revocaverit, è ſacris Bibliis excerpta, ſub titulo HEBRAISMI SCLAVONO-POLONICI, in uſum publicum edere non intermittam.

III. Tertium eſt, quod Cardinalis hæc Lingua Sclavonica ab initiis ſuis Dialecto immutabili eadem hactenùs permanſerit, cum aliæ Linguæ hodie ferè ſingulo decennio ſua patiantur deliquia, ſeſeque in dies magis atque magis expoliant, quod ipſum in idiomate Germanico, Gallico, Polonico à Sclavonâ matre temere degenerante (hâc de re CNAPIUS in præfatione Dictionarii Polonico, Græco Latini multis graviſſimè queritur) aliisque Linguis palàm obſervatur.

V. Rutheni Boryſthenidæ MORIBUS elegantiores ſunt, utpote, qui in ſcholâ artibus humanioribus paſſim fideliter emolliuntur: quare ergà exteros humaniores paulò ſunt, eosque benigne habent. Aſt Moſcovitæ per quam barbari, præter ſuperbiam atque avaritiam ſordidam, nec leges humanitatis, nec morum civilitatem norunt. Hinc Legati Magni Ducis Moſcoviæ, apud exteros Principes, ob faſtum ſtolidum moresq; ſordidos aliis ſunt nauſea, aliis ludibrium, à plerisque autem porci Ruſſiaci, etiã in faciem audire coguntur. Quo nomine auctor INDIFFERENS Vir Clariſſ in Floro Polon. in eos graviſſimè invehitur. Cauſa craſſi eorum faſtus eſt, quod ſolos ſe homines ingenuos ac præ cæteris nationibus generoſiores putant, quemadmodum in religione ſolos ſe Chriſtianos, eosque orthodoxiæ nomine cœlo terraque celeberrimos, cœteras autem Chriſtianorum gentes ut profanas averſantur, & à templis ſuis arcent, qui homines tamen natura ſervi, nataque Dominis ſuis mancipia, à ſuperſtitione ſua, puerorum inſtar, teneatur captivi.

VI. Et quia Rutheni duntaxat ſibi ſuisq; affectum & benevolentiam omnem debere ſe arbitrantur, hinc inter eos tituli fratrum & ſororum, votaque Chriſti gratiam & amorem ſpirantia, ultrò citroque commeant. Obviam,

enim

enim sibi facti hâc sese formulâ affantur: *Boh na pomoc!* id est, Deus te adjuvet! *Kak tebe χρίστος mituje?* Hoc est, num tibi Christus est propitius? Cui alter, *TAK pomalenku*, sic mediocriter, respondet. Credunt enim, CHRISTO sibi propitio, omnia ex animi fluere sententia, qua de re sentiunt rectissimè. Feriis verò Natalium CHRISTI vel Paschalibus, Deum immortalem, quæ gaudia sonant? quæ gratulationes audiuntur? quæ oscula, & munera inter eos commeant. Non audies in templis, per plateas & domos Paschali tempore aliud, præterquam salutationem hanc, e.g. *Frater Basili, surrexit CHRISTUS hodie.* Cui alter: *Ita est, vere surrexit CHRISTUS Dominus, mi Frater Artomi.* Utinam nos Germani ab iis, quos civitas nostra in censu barbarorum habet, Charitatis Christianæ discamus sinceritatem.

VII. Sed nec istud in leviori esse miraculorum censu debet, quod in Russia & in Moscoviæ quidem civitatibus (sedem magni Ducis MOSCOVIAM excipio) nulla fere officina Apothecaria, nullus Chirurgus, nullus denique sit Medicus, qui frequentissimis iisque diuturnis jejuniis emaciatum corpus reficiant, aut attenuatam ipsorum valetudinem corrigant, & tamen nihilominus valetudine utuntur promiscuè prosperrima. Quisque sibi æger & medicus est, piper aut vinum sublimatum deficienti stomacho medetur. Si convalescunt fortè, felices se prædicant; sin minùs, fato intereunt certissimo. Sed hâc de re Olearius in Itinere Persico, pluribus legi potest.

FINIS

ΑΜΗΝ. Ἡ Εὐλογία, καὶ ἡ δόξα, καὶ ἡ Σοφία, ἡ σωτηρία, ἡ εὐχαριστία, καὶ ἡ τιμὴ καὶ ἡ δύναμις, καὶ ἡ ἰσχὺς
ΙΕΣΟΥ̃ ΧΡΙΣΤΩ̃
εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων,
ΑΜΗΝ.

Special 92-B
21454
bound w/
92-B
22979
92-B
22978
THE GETTY CENTER
LIBRARY